This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6000110880

6000110880

6000110880

6000110880

WESSELII SCHOLTEN,

S. S. Litterarum, in aede, quae dicitur, hospitali, apud Batavo-Delphenses, interpretis

DIATRIBE

DE

PARABOLIS J. C.

DELPHIS BATAVORUM,
APUD B. BRUINS,
ET
LUGDUNI BATAVORUM,
APUD H. W. HAZENBERG.
MDCCCXXVII.

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO,

R. W. J. VAN PABST VAN BINGERDEN,

J. C^TO, ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO, REGI A CONSILIIS PUBLICIS, COLLEGII EQUESTRIS, IN REGIONE GELRIA, SOCIO, COMPLURIBUS ERUDITORUM SOCIETATIBUS COOPTATO.

d. d. d.

AUCTOR.

Ab eo inde tempore, quo consilium cepi, de Parabolarum J. C. indole ac ratione aliquid conscribendi, jam quoque Viri Excellentissimi, Nobilissimi! in animo fuit, istud, qualecunque tandem, opusculum, tanquam grati animi testem, dedicare Nobilissimo viro, Socero ac Patri Vestro JOH. M. VAN PABST, domino BINGERDENSI, olim Amplissimo Magistratui AMSTELAEDAMENSI ab actis et secretis; patriâ autem restitutâ, COLLEGII EQUESTRIS, in Regione Gelriâ, Socio, multis nominibus de me bene merito. Cum autem ille anno hujus Sec. XXIV., die vicesimo Novembris, morte nobis ereptus est, nil antiquius, nil officio magis consentaneum duxi, quam ut vobis, Viri Excellentissimi, No-

Τὸ διὰ μύθων τ' ἀληθὲς ἐπιτρύπτειν τοὺς μὲν ἀνοήτους καταφρονεῖν ἐκ οἴᾳ, τοὺς δὲ σπουδαίους φιλοσοφεῖν ἀναγκάζει.

Dictum SALLUSTII.

a BLACKWALLO relatum, *Crit. Sacr. N. T.* p. 274. Edit. WOLLII.

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

W. H. A. K. VAN HEECKEREN

VAN KELL ET RUDERLOO,

J. C^ra, ORDINI LEONIS BELGICI ADSCRIPTO, REGIS CUBICULARIO, COLLEGII EQUESTRIS, IN REGIONE GELRIA, SOCIO, EJUSDEMQUE REGIONIS GUBERNATORI,

UTI ET,

tatis Christianae exempla; immo faxit Deus et per Filium suum J. C. Pater noster benignissimus, ut emenso aliquando hujus vitae stadio, quod quidem tempus sero affuturum optamus, Vos quoque in illud Coeli templum adscendatis, ubi virtuti pietatique, et quibuscunque omnino virtutum laudibus sua eaque aeterna manent praemia. Quo si Dei O. M. benignitate Servatorisque sanctissimi caritate, et ego aliquando pervenero, Socero ac Patri Vestro Viri Excellentissimi, Nobilissimi! debitas, quas hîc non potui, persolvam gratias. Vos interim me ita erga Vos animatum existimetis, qualem semper, si adhuc in vivis esset Socer ac Pater vester, erga eum praestare me vellem, h. e. summâ cum reverentiâ et debitâ animi gratitudine.

Dabam Delphis, mensis Martii, die VI. Anno MDCCCXXVII.

PRO-

PROSPECTUS.

PARS PRIOR.

I. *A.* Parabolae notio § 1.

A. In eâ definiendâ non grammaticis solum et etymologicis rationibus insistendum est, pag. 13.
Quid proprie significet vox *parabola*, . . ibid.
Eadem significatio τοῦ משל et משלים Hebraeorum. . . . . ibid.

B. Hujus *vocis usus* proponitur:
1. Apud *Graecos*. . . . . „ 14.
a.) Exploratur ARISTOTELIS sententia. 14—20.
b.) Item AELIANI. . . . . „ 20, 21.
2. Apud *Romanos*. . . . . „ 21.
Testimonia adducuntur:
a.) CICERONIS. . . . . „ 21—25.
b.) Auctoris ad HERENNIUM. . . „ 25—31.
c.) QUINCTILIANI. . . . . „ 31—38.
d.) e PLATONE τῆς εἰκόνος, quam ad parabolas seu similitudines refert QUINCTILIANUS citatur exemplum. . . . . „ 35—38.
Dijudicantur. . . . . „ 39, 40.

3. Apud

3. Apud veteres HEBRAEOS. . . pag. 40—43.
Verſiones citantur τῶν LXX. CASTELLIONIS, Cl. VAN DER PALM, nec non BELGICA, quae dicitur Ordinum. Belg. Foed.
4. Apud librorum N. T. ſcriptores. „ 43—51.
a.) De parabolis, quas narrat LUCAS, ſpeciatim agitur. . . . . „ 44, 45.
b.) Abſtinet JOANNES Euangelista a voce παραβολή nec non ab ejusmodi parabolis, quae exemplorum atque τῶν εἰκόνων ſpeciem referunt. . . . . „ 45.
c.) Refertum autem eſt ejus Euangelium *metaphoris*, *allegoriis* et *proverbialiter dictis*. . . . . „ 46.
d.) Pro voce παραβολή, in Euang. JOANNIS occurrit παροιμία, eâdem prorſus ſignificatione. . . . . ibid.
e.) Cur JOANNES nullas ejusdem generis parabolas retulerit, quas narrarunt caeteri Euangelistae? . . . . . „ 47—51.
Hujus rei cauſa quaerenda:
a.) Cum in JOANNIS *conſilio*, in conſcribendo Euangelio ſuo. . „ 47—50.
b.) Tum quoque in ejus *indole*, cum hoc ſuo conſilio arcte nexâ. „ 50, 51.
5. Ex hujus vocis παραβολῆς uſu cum apud Graecos atque Romanos, tum apud Veteres Hebraeos et N. T. Scriptores univerſe apparet: . .

a.) Om-

a.) Omnes hac voce, nec non synonymo ejus παροιμία usos fuisse, cum *generali* notione, de *collatione*, *similitudine quacunque*, tum apud HEBRAEOS in primis et N. T. SCRIPTORES, notione speciali de *exemplis*, et ejusmodi similitudinibus, quae Graece εἰκόνες dicuntur. . . . . pag. 51, 52.

b.) Hisce ita consideratis superstruitur definitio, qua omnes continentur similitudines, quae a Jesu, sive exemplorum, sive τῶν εἰκόνων seu denique τῆς ἐπαγωγῆς formâ narrentur, sunt proposita. . . . . „ 52.

a.) Verae quoque *historiae* parabolarum ad instar possunt adhiberi. „ 51. 54.

b.) Quid interfit inter *parabolam* et *fabulam* stricte sic dictam? „ 54, 55.

c.) Venerab. STORRII de notione parabolae dijudicatur sententia, nostra et opponitur et ARISTOTELIS et A. MACROBII testimoniis comprobatur . . . „ 55—61.

B. Parabolarum *origo antiquissima* § 2.

Repetenda illa est e remotissimâ antiquitate, et apud Orientales quaerendâ. . . . „ 61.

1. Hi enim, ipsâ naturâ duce, sponte ad *metaphoricam* et *allegoricam* et hinc quoque ad *poëticam* sermonis formam accesserunt, cujus rei testes sunt antiquissima Orientalium monumenta . . . . . „ 62—64.

2. Cum autem, inventis artibus, vitae necessitatibus et commodis facilius prospicere

posſent, et majus inde otium eorum ingenium nancisceretur, comparando hominum actiones cum ordine, in rerum naturâ conſpicuo, et legibus certis, quibus omnes res naturales obtemperabant, hunc ordinem, has leges in actionibus illis magnopere deſiderabant; impetu tamen quodam naturali pelli ſeſe ſentiebant ad agnoscendas certas easque immutabiles leges, ad quas actiones quoque ſuas conformare eos oportebat. Hinc meliores et ſagaciores a ſuo quemque errore revocare et ad obſervandas naturae leges adducere populares conati ſunt. Hoc autem, ſuâ ſimplicitate ducti, necdum philoſophiae praeceptis exculti, faciunt fingendo *fabulas*, puerili ingenio atque aetati hominum, aptas. En *fabularum* origo! pag. 64—66.

3. Ab his tandem experientiâ et cognitione aucti et ad humanitatem magis exculti acceſſerunt, ad *exemplorum* et *parabolarum* propoſitionem, ut vitam et mores popularium conſtituerent; quae ratio philoſophiae et rationi magis est conſentanea. „ 66—68.

4. Colligitur hinc, cur Servator de *regno Coelesti* doctrinam, parabolarum, non vero fabularum involucris, tradiderit. . . „ 68.

C. Parabolarum *antiquus uſus* § 3.

A. Reperiuntur in ſcriptis Orientalium monumentis vetuſtisſimis . . . . . „ 69.

1. In

1. In primis occurrunt in scriptis PROPHETARUM. . . . . pag. 69.
2. Sunt autem hae sive *imagines* sive *parabolae* ad Orientalis ingenii luxuriantis rationem accommodatae et ad *allegoriarum* magis formam, quam ad parabolarum speciem, ut haec a nobis est definita, accedunt. ibid. et 70.
3. Earum ratio ut melius cognoscatur, nonnulla citantur exempla. . . . „ 70—74.
B. Seriori quoque aevo parabolica instituendi ratio apud Judaeorum magistros invaluit, quod exemplis ostenderunt VORSTIUS et LIGHTFOOTUS. . . . . „ 74, 75.
1. Earum nonnullae perquam similes sunt parabolis, quibus usus est Servator. . „ 75.
2. Adductis id exemplis demonstratur. 75—77.
3. Quod ad ornatus simplicitatem et veram poëticam rationem et cum brevitate conjunctam absolutionem attinet, multo tamen minoris, quam parabolae Servatoris, sunt censendae. . . . . „ 77, 78.
4. Pertinet huc quaestio, num Jesus a sui temporis magistris parabolas suas mutuo sumserit, suoque consilio adaptaverit, an vero hi ex Euangelistarum scriptis suas mutuaverint? . . . . . „ 78.
Observandum videtur, etiamsi Jesus adhibuerit parabolas, quibus similes magistri sui temporis utebantur, id ejus sapientiae haud fuisse contrarium; eam autem para-

rabolarum Jesu esse rationem, ut non necesse sit, statuere, eum vel unicam a Judaeorum magistris mutuasse pag. 79, 80.

D. Institutionis per parabolas utilitas § 4.

Distinguitur illa in *generalem* et *specialem.*

A. *Generalis* in eo cernitur, quod maxime faciant

1. ad *docendum*, *persuadendum*, *convincendum.* „ 80—87.

2. Earum ope sive praecepta sive doctrinae, quae traduntur *memoriae quasi infigantur.* „ 87—90.

B. *Specialis* cernitur.

1. In *hominum indocilium* et *praefractorum confutatione* et *redargutione.* . . „ 90—92.

2. In *tegendis* quasi *veritatibus* quibusdam *sublimioribus*, ad quarum captum plebs indocilis parum apta reperitur. . . „ 92—96.

3. In primis autem vim habebant in *occultandis divinis mysteriis* Pharisaeorum et Legisperitorum gregi, veritatis luci in primis inimicae . . . . . „ 96—99.

4. Tandem, doctrinam quam proponunt, ipsis his imaginibus *confirmant*, *atque fidem et auctoritatem ei conciliant* . . . „ 99—101.

E. Parabolarum *poëtica ratio.* § 5.

A. Singulari quodam poëseos genere continentur Orientalibus maxime trito. . . . . „ 101.

1. Ad earum *formam* quod attinet, ea prorsus *historica* est. . . . . „ 102.

2. Cum

2. Cum autem *Character* earum *poëticum* spectemus in eo observanda sunt:

a.) *Summa veritas* et

b.) *absoluta perfectio.* . . . . pag. 103.

B. Ad poëticam parabolarum rationem recte dijudicandam.

1. *Non adhibendae* sunt *regulae, ad quas vulgo fabulae*, quae dicuntur, *Aesopicae aestimari solent.* . . . . . „ 103.

2. Ex ipso enim earum sinu leges sumendae, quarum judicio subjici debent. „ 103, 104.

3. Conferendae illae sunt inter sese et cum caeteris, quae in Orientalium scriptis monumentis, cum antiquissimis tum serioris aevi, occurrunt.

4. In primis requiritur judicium assiduo rerum Orientalium studio exercitatum. „ 104.

C. Quod ad earum sive *materiam* sive *formam* attinet, *naturam* sequuntur magistram. „ 104, 105.

Conferri possunt cum pictis summâ arte tabellis, nec non cum gratâ auribus sonorum harmoniâ, ac cum corpore, in quo omnia membra apte et pulchre sunt composita. „ 105, 106.

F. Parabolarum in N. T. Scriptis, series § 7.

A. Alii fortassis huc referent quoque *allegorias* nonnullas, in JOANN. Euang. et alibi obvias. . . . . „ 106, 107.

B. De qua re non magnopere contendendum, quandoquidem inter parabolas, *speciali notione*,

et allegorias magna nonnunquam intercedat similitudo . . . . . pag. 107.

C. In Lucae Euangelio venustissimae fere et elaboratissimae occurrunt parabolae, Orientalium hac in re rationem in primis referentes. „ 108.

D. Non eâdem semper occasione, nonnullae parabolae, a pluribus Euangelistis narratae, quamvis ipsa narratio sit eadem, a Jesu sunt pronunciatae. . . . . „ 109.

G. Parabolarum Servatoris nostri *argumentum* § 7.

Dividi possunt in quasdam *formas* sive *species* sunt igitur:

A. vel *Didactici*.

B. vel *Prophetici*.

C. vel *Prophetico-didactici*.

D. vel *Prophetico-dogmatici*.

E. vel *Didactico-dogmatici*.

F. vel denique *Didactico-prophetico-dogmatici* argumenti. . . . . „ 109—111.

H. *Universum*, quod, proponendis parabolis suis, Jesus habent *consilium* § 8.

A. His parabolarum imaginibus Servator futuris sui regni ministris, veram ejus rationem, leges, fata, praemia, caet., tanquam elementariâ institutione, tradere voluit. . „ 111—114.

B. Dijudicatur doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERI sententia, qua KRUMMACHERI, de *universo* Jesu, in adhibendis parabolis, consilio, sententiam refutare conatus est.

C. Ab

C. Ab eâ nos ita discedamus, ut statuamus, omnes omnino Jesu parabolas, ne iis exceptis, quas, in suam sententiam, citavit VAN LIMBURG-BROUWERUS, arcto cum *doctrinâ de regno Coelesti* vinculo contineri. . . pag. 115—124.

I. Videtur quoque Jesus parabolicâ instituendi ratione adducere homines voluisse ad rerum naturalium contemplationem, ut a rebus, sensibus objectis, mentem extollant ad eas res, quae animo tantum concipiuntur § 9. . . . „ 124, 125.

J. Summa Servatoris sapientia in eo cernitur, quod parabolae ejus, non sint opus meditationis diuturnae, sed datâ semper occasione propositae § 10. „ 125—127.

K. De parabolis, quae Matth. XIII. occurrunt *in genere* disquisitio, qua probare conati sumus, septem illas, quae hoc cap. occurrunt, parabolas, aliasque, eodem a Jesu tempore eademque occasione, fuisse propositas § 11. „ 125—145.

Subjungitur huic disquisitioni LAMII Oratorii D. J. *Presbyteri* sectionum 10—17. expositio in *Commentario* ejus *in Harmoniam* lib. III. cap. XVII. pag. 248. . . . . „ 145—149.

PARS POSTERIOR.

1. Hujus partis distributio. — Primo colliguntur et ordine quodam disponuntur *externa interpreta-*

tionis praesidia, deinde *interpretationis momenta interna* in medium proferuntur § 12. pag. 150—152.

A. Praemittuntur nonnullae observationes.

A. Non nova est haec interpretationis subsidiorum dividendi ratio, a STORRIO jam adhibita. „ 152.

B. Unice autem referenda ea est ad *rem* parabolâ *significatam*. . . . . „ ibid.

C. Ad ipsam parabolarum *narrationem* recte intelligendam, *ipsa per se* spectari debet, iisdem adhibitis interpretandi remediis, quibus utuntur interpretes, ut quamcunque historicam explicent narrationem. . . . . „ ibid.

D. Subjiciuntur observationes quaedam, quae in primis, in recte intelligendâ narratione animadvertendae videntur. . . . . „ 153.

1. Obs. I. agit de iis, quae aliquando in parabolarum *narratione* sunt *supplendâ* § 13. „ 153—157.

ὡς ἐν παροδῷ subjungitur explicatio ejus parabolae *Divitis epulonis et Lazari* partis, quae legitur, Luc. cap. XVI. sect. 21. . . . . „ 157—163.

2. Obs. II. agit de iis, quae *ornamenti causâ*, et ut suis numeris absolvatur in *narratione* occurrunt. § 14. . . . . „ 164—170.

3. Obs. III. agit de necessariâ, ad narrationis fictae intelligentiam, *penitiore rerum Orientalium et antiquitatum Hebraicarum*, nec

nec non geographicae regionis Palaestinae rationis, rerum ejus naturalium atque historiae istius, quo vixit Jesus, temporis, *cognitione* § 15. . . . . pag. 171—176.

4. Obs. IV. de *notionibus* agit, quae, *petitae* e *perfectâ rerum Coelestium cognitione*, qua Servator, Divinae socius naturae, gaudebat, aliquando ipsis parabolarum imaginibus immiscentur, qua in re istae parabolae a consueto harum fictarum narrationum ordine recedunt § 16. . . . . „ 176—179.

5. Obs. V. universe agit de *rerum naturalium cognitionis utilitate*, ad veram parabolarum intelligentiam § 17. . . . . „ 179, 180.

B. Fit transitus:

A. Ad *externa* interpretationis parabolarum *subsidia*.

Haec quoque nostrae disputationis pars nonnullis absolvitur observationibus.

1. Obs. VI. primum interpretationis praesidium inde petendum, quod parabolarum ea est ratio atque indoles, ut arcto cum doctrinâ de regno Coelesti vinculo contineantur § 19. . . . . „ 181, 182.

2. Obs. VII. Pertinent huc formulae ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; οὕτως ἐστὶν ἡ. β. τ. ο. plurimis Servatoris nostri parabolis praemissae, quibus res comparata *universe* indicatur § 20. . . . „ 183.

a.) Cau-

a.) Cautione tamen opus est, ne harum formularum perversa applicatio in errorem nos ducat ibid. . . . pag. 183—185.

b.) Formulae ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; ἡ. β. τοῦ Θεοῦ; ἡ β. τοῦ Χριστοῦ traditur *definitio* seu potius descriptio, cujus rei cognitio ad rectam parabolarum Servatoris nostri interpretationem necesse est, ibid. . . „ 185—187.

3. Obs. VIII. Parabolarum interpreti in primis attendendum est ad *opportunitates occasionesque*, quibus parabolas suas proposuit Jesus, quae e *contextû* cognoscuntur *oratione;* cujus rei ea est ratio, ut, quo tempore, qua occasione, quibus locis atque personis et quo consilio propositae sint parabolae, illustret § 21. . . . „ 187—191.

4. Obs. IX. Cognoscitur quoque Jesu mens in proponendâ aliqua parabolâ ex additâ seu praemissâ, *admonitione*, *reprehensione*, *comminatione;* immiscendo quoque aliquando *proverbiali dicto;* παροιμία et ἐπιμυθία interpretes vocant § 22. . . . „ 191, 192.

5. Obs. X. Ipsae Jesu *explicationes*, nonnullis parabolis additae, referendae quoque sunt ad externa interpretationis parabolarum praesidia § 23. . . . . „ 192—194.

6. Obs. XI. Attendere in primis quoque oportet interpretem ad *formulas* quasdam e *Judaeorum* de variis, cum regno Messiae con-

conjunctis, rebus, *sentiendi ratione petitas*, iisque, in harum rerum disputatione, tritas. § 24. . . . . pag. 194—201.

7. Obs. XII. Aliquando Jesus ipsi quoque parabolae narrationi immiscet *brevem quandam ἀναδιδαν*, quae, ad verum ejus sensum constituendum, nonnihil tribuit § 25. „ 202—208.

8. Obs. XIII. Mutua parabolarum *inter se collatio* haud parum quoque facit ad earum argumentum recte percipiendum § 26. „ 208, 209.

B. Ad *interna* interpretationis parabolarum praesidia fit transitus.

1. Prima horum ratio in eo est, ut *generalis* quaeratur notio, cui, cum ipsa parabolae *ficta narratio* tum *res significata*, tanquam duae species suo generi, subsunt. . . „ 210.

a.) Quod exemplis illustratur. „ 210—229.

b.) STORRII, quem sequitur doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS sententia: nonnullas scilicet esse parabolas, quarum intelligentia, UNA *abstractione* pro *singularibus universales*, pro *specialibus generales* notiones substituente, acquiri possit, modeste, nonnullorum exemplorum illustratione, dijudicatur ac refutatur. . . . „ 229—240.

2. Altera ratio est in quaerendâ *differentiâ*, quae dicitur, *specificâ* narrationem inter et rem significatam § 28. . . . . „ 240.

Haec

tor, quamvis ea, quae convincendi causa concessisset, haudquaquam ipse probaverit § 38. . . . . pag. 301—303.

k.) Obs. XXIV. Ad parabolarum intelligentiam valet quoque observatio, Servatorem nonnunquam *imagine uti patris*, qui cum filiis, et filiorum, qui invicem cum illo sermones conferunt, eo consilio, *ut*, traductâ imagine, *homines intelligerent*, *ipsum* non suo, sed *Patris sui Coelestis nomine agere* caet. § 39. . . „ 303, 304.

Epilogus. . . . . „ ibid.

PRAE-

quam adhibet Servator, tum in primis, cum rei docendae ratio, atque indoles ejusmodi sunt, ut nonnisi tecte et per imagines proponi possint § 33. 281—284.

f.) Obs. XIX. Animadvertenda quoque *praecipua*, quae in omnibus parabolis dominatur *doctrina*, quae, per varias fictae narrationis παιγνίας, saepius majore luce suffunditur, quamvis ipsae quoque hae παιγνίαι inculcent doctrinam aliquam, licet *minus praecipuam* § 34. „ 285—290.

g.) Obs. XX. Aliquando Jesus doctrinam parabolae a se propositae praecipuam, quadam veluti explicatione ostendit quidem, sed prorsus fere eam involvit *dictionibus e narratione fictâ petitis*, quibus tamen, *una aliqua immiscet*, ad quam attendere parabolam interpretantes, prae caeteris, oportet § 35. . „ 290, 291.

h.) Obs. XXI. Indicatur *necessitas*, *ne* parabolarum interpres *hospes sit in opinionibus*, quas sibi *de rebus Divinis* caet. formarunt Judaei § 36. . „ 292, 295.

i.) Obs. XXII. In parabolarum explicatione videndum, *ne in fidei*, seu doctrinae Sacris litteris explicatae, *analogiam impingatur* § 37. . . . . „ 295—301.

j.) Obs. XXIII. In parabolis nonnunquam *e concesso* ut ajunt, argumentatur Servator,

rabolarum Jesu esse rationem, ut non necesse sit, statuere, eum vel unicam a Judaeorum magistris mutuasse pag. 79, 80.

D. Institutionis per parabolas utilitas § 4.

Distinguitur illa in *generalem* et *specialem.*

A. *Generalis* in eo cernitur, quod maxime faciant

1. ad *docendum*, *persuadendum*, *convincendum.* „ 80—87.

2. Earum ope sive praecepta sive doctrinae, quae traduntur *memoriae quasi infigantur.* „ 87—90.

B. *Specialis* cernitur.

1. In *hominum indocilium* et *praefractorum confutatione* et *redargutione.* . . „ 90—92.

2. In *tegendis* quasi *veritatibus* quibusdam *sublimioribus*, ad quarum captum plebs indocilis parum apta reperitur. . . „ 92—96.

3. In primis autem vim habebant in *occultandis divinis mysteriis* Pharisaeorum et Legisperitorum gregi, veritatis luci in primis inimicae . . . . . „ 96—99.

4. Tandem, doctrinam quam proponunt, ipsis his imaginibus *confirmant*, *atque fidem et auctoritatem ei conciliant* . . . „ 99—101.

E. Parabolarum *poëtica ratio.* § 5.

A. Singulari quodam poëseos genere continentur Orientalibus maxime trito. . . . . „ 101.

1. Ad earum *formam* quod attinet, ea prorsus *historica* est. . . . . „ 102.

2. Cum

2. Cum autem *Character* earum *poëticum* spectemus in eo observanda sunt:

a.) *Summa veritas* et

b.) *absoluta perfectio.* . . . . pag. 103.

B. Ad poëticam parabolarum rationem recte dijudicandam.

1. *Non adhibendae* sunt *regulae, ad quas vulgo fabulae*, quae dicuntur, *Aesopicae aestimari solent.* . . . . . „ 103.

2. Ex ipso enim earum sinu leges sumendae, quarum judicio subjici debent. „ 103, 104.

3. Conferendae illae sunt inter sese et cum caeteris, quae in Orientalium scriptis monumentis, cum antiquissimis tum serioris aevi, occurrunt.

4. In primis requiritur judicium assiduo rerum Orientalium studio exercitatum. „ 104.

C. Quod ad earum sive *materiam* sive *formam* attinet, *naturam* sequuntur magistram. „ 104, 105.

Conferri possunt cum pictis summâ arte tabellis, nec non cum gratâ auribus sonorum harmoniâ, ac cum corpore, in quo omnia membra apte et pulchre sunt composita. „ 105, 106.

F. Parabolarum in N. T. Scriptis, series § 7.

A. Alii fortassis huc referent quoque *allegorias* nonnullas, in JOANN. Euang. et alibi obvias. . . . . „ 106, 107.

B. De qua re non magnopere contendendum, quandoquidem inter parabolas, *speciali notione*,

rabolarum Jesu esse rationem, ut non necesse sit, statuere, eum vel unicam a Judaeorum magistris mutuasse pag. 79, 80,

D. Institutionis per parabolas utilitas § 4.
Distinguitur illa in *generalem* et *specialem.*

A. *Generalis* in eo cernitur, quod maxime faciant
1. ad *docendum*, *persuadendum*, *convincendum.* „ 80—87.
2. Earum ope sive praecepta sive doctrinae, quae traduntur *memoriae quasi infigantur.* „ 87—90.

B. *Specialis* cernitur.
1. In *hominum indocilium* et *praefractorum confutatione* et *redargutione.* . . „ 90—92.
2. In *tegendis* quasi *veritatibus* quibusdam *sublimioribus*, ad quarum captum plebs indocilis parum apta reperitur. . . „ 92—96.
3. In primis autem vim habebant in *occultandis divinis mysteriis* Pharisaeorum et Legisperitorum gregi, veritatis luci in primis inimicae . . . . . „ 96—99.
4. Tandem, doctrinam quam proponunt, ipsis his imaginibus *confirmant*, *atque fidem et auctoritatem ei conciliant* . . . „ 99—101.

E. Parabolarum *poëtica ratio.* § 5.

A. Singulari quodam poëseos genere continentur Orientalibus maxime trito. . . . . „ 101.
1. Ad earum *formam* quod attinet, ea prorsus *historica* est. . . . . „ 102.

2. Cum

2. Cum autem *Character* earum *poëticum* spectemus in eo observanda sunt:

a.) *Summa veritas* et

b.) *absoluta perfectio.* . . . . pag. 103.

B. Ad poëticam parabolarum rationem recte dijudicandam.

1. *Non adhibendae* sunt *regulae, ad quas vulgo fabulae*, quae dicuntur, *Aesopicae aestimari solent.* . . . . . „ 103.

2. Ex ipso enim earum sinu leges sumendae, quarum judicio subjici debent. „ 103, 104.

3. Conferendae illae sunt inter sese et cum caeteris, quae in Orientalium scriptis monumentis, cum antiquissimis tum serioris aevi, occurrunt.

4. In primis requiritur judicium assiduo rerum Orientalium studio exercitatum. . „ 104.

C. Quod ad earum sive *materiam* sive *formam* attinet, *naturam* sequuntur magistram. „ 104, 105.

Conferri possunt cum pictis summâ arte tabellis, nec non cum gratâ auribus sonorum harmoniâ, ac cum corpore, in quo omnia membra apte et pulchre sunt composita. „ 105, 106.

F. Parabolarum in N. T. Scriptis, series § 7.

A. Alii fortassis huc referent quoque *allegorias* nonnullas, in JOANN. Euang. et alibi obvias. . . . . „ 106, 107.

B. De qua re non magnopere contendendum, quandoquidem inter parabolas, *speciali notione*,

ſive ſingulis, ſacrorum confectores; ſpeciminum et disputationum ſive dé univerſâ parabolarum ratione et earum interpretandi modo agentium, ceu quoque ad ſingularis alicujus parabolae interpretationem pertinentium auctores, et, quisque pro ſe, clamitabant, ſe velle itineris mihi duces esſe. — Quid igitur mihi erat faciendum? Videbam quidem plurimos in contraria abire, nec tamen esſe niſi unam eamque certam ad veritatem viam; ſed quaenam illa esſet, id reperiri, *hoc opus hic labor* erat. Certe aliquis mihi dux viae eligendus erat. Itaque, mihi ipſe quoque aliquid tribuens, eorum neminem, qui duces ſeſe mihi obtulerunt, injuriâ afficere volui; ſingulos igitur aliquantulum viae me ſecuturum promiſi, donec, quo tenderet illa perſpexisſem, et aliquâ cum ratione de viae ſecuritate, commoditate, itemque veritate judicium ferre posſem. Hanc autem, ut mihi concederent facultatem rogavi, ut, quamprimum aliqua ad veritatis ſcopum non videretur tendere via, ſtatim ab hac discedere et in aliam me conferre, mihi liceret. Quod cum esſet concesſum, me, per multas, easque varias vias, dicamne devia potius, duci, pasſus ſum. — Duxe-

runt

runt me Patres Ecclesiastici per longas ambages et per mysticae interpretationis incertos tramites; duxerunt Coccejanëae interpretationis regulam sequentes: *verba significant quidquid significare possunt*, per ejusmodi devia, quae animum quidem aliquantulum, luxuriantis ingenii, quo conspicua erant, fructibus exhilarare possent, sed longius tamen a veritatis, quo tendebam, scopo abducerent. — Secutus sum quoque ejusmodi, Germanorum inprimis, duces, qui quasi levi pede et saltando viam, quâ praeibant, percurrebant, neglectis, quae rectum, quo procedere ipsos necesse erat, ut veritatem ipsi assequerentur, iter monstrarent. Hinc haud scio, an hi longissime a veritate deflexerint. — Sed erant quoque modesti lento at certo gradu procedentes, nil magnopere de se ipsi profitentes; sed sua tamen peritiâ, longâ exercitatione acquisitâ, confisi et aliorum quoque erroribus docti interpretes et viae duces, quibus lubenter me tradidi ducendum. — Hi ingenio ipsi suo haud indulgentes, sed interpretandi arte grammaticâ, unicâ illâ veae intelligentiae effectrice utentes, confirmatâ insuper continuo legendarum narrationum Euangelicarum usu,

quo cognitas habebant cum singulorum verborum significationes, tum eorum compositiones et constructiones, quibus cujusque loci veram assequi possent sententiam; hi inquam, quo magis assidue eos sequerer, nec ab eorum quasi latere discederem, eo rectius et quasi compendiariâ viâ ad ipsam me ducere veritatem, mihi visi sunt. Relictis igitur ceteris, et ipse quoque illorum erroribus doctus, grammaticos hosce itemque vere historicos secutus sum interpretes. — Quos inter nominare licet ERNESTIUM, MORUM, KEILIUM, KUINOELIUM, alios et imprimis quoque STORRIUM. Cujus quidem viri quanta, in rectam parabolarum servatoris nostri interpretationem, sint merita, non est quod memorem, post laudes ei a LIMBURG-BROUWERO, viro doctiss. nuperrime in *Spec. Acad. de Parabolis J. C. Praef. pag.* XI tributas. — Multum quoque ipsi STORRIO in hac nostrâ disputatione et nos debemus, quamvis non in omnibus ei assentientes; nam de stylo aliquantulum obscuro, et disserendi modo nimis, ut videtur, implicito et ad methodum dialecticam composito nunc non dicemus.

Talibus igitur ducibus atque auctoribus para-

bo-

bolarum ſervatoris noſtri ſtudium inter delicias nobis ſemper fuit et usque futurum est. — Hinc, orti ſermones pro concione de ſingulis parabolis habiti, quibus auditores veram cujusque parabolae, pro viribus, ſenſum explicare conatus fui, ac deinceps, ut conſuetudo fert, earum argumentum univerſe magis in eorum uſum convertere. Hinc quoque ortae obſervationes et notulae, quas ſubinde, cum ſingularum interpretationi parabolarum operam darem, in commentarios retuli, donec tandem, collectis hujus generis pluribus, conſilium ceperim, disputationem qualemcumque de Parabolis Jeſu Christi conſcribendi. Quod conſilium, elapſis abhinc jam octo annis fere ſum exſecutus; nam triginta duae hujus disputationis paginae jam erant excuſae Trajecti ad Rhenum praelis ALTHEERII: cum, vocatione ad *Harderovicenam* e *Vleutenſi* Eccleſiâ interceptus, et dein variis negotiis implicitus atque distractus, ab opere deſtiti, additis tamen ſubinde ad commentarios meos nonnullis, quae exercendo munere et aliorum ſcripta legendo animadverti, et annotatione digna existimavi. Anno autem proxime elapſo denuo ad opus intermisſum me accinxi, et mutatis, ad-

ditisque nonnullis, in eam hanc disputationem formam redegi, quâ nunc in lucem, e pulvere quo diu obruta jacuerat, prodit. Opportune autem, antequam ederetur, ante aliquot menses in manus venit egregia doctiss. LIMBURG-BROUWERI *de parabolis J. C.* disputatio inauguralis, pro gradu Doctoratus in Theologiâ, publice defensa, in Academiâ Lugduno-Batavâ, quam tantâ cum voluptate legi atque relegi, ut operis me mei fere piguerit. Quippe vir ille doctiss. eandem, quam ego viam secutus, iisdemque fere ducibus usus, multa meis similia collegit, et in eodem quasi stadio currens, metam praeoccupavit, nisi palmam quoque mihi praeripuit. — Laudes autem ingenui ac liberalis interpretis, VOORSTII, veterani in hoc stadio, praeceptis, egregie instituti discipuli viro doctissimo denegare meritas hac opportunitate non possumus. — Quemadmodum autem ille gratus agnoscit, quae et quanta debeat magistris, quos habuit, egregiis, sic quoque ego hâc occasione gratâ recolo memoriâ praecepta illa, cum Hermeneutica, tum alia, quibus inprimis, Cl. J. HERINGA E. F. mentem animumque meum efformavit ad SS. Litterarum interpretis mu-

munus; et quidquid in hoc meo munere praeſtiti aut unquam ſim praeſtiturus, id huic praeclaro viro, laudibus meis longe ſuperiori, tanquam meorum ſtudiorum olim duci atque auctori inprimis tribuendum esſe ſemper existimavi et usque cenſebo. — Quem virum, Academiae Trajectinae, in Theologicis ſtudiis, honorem et decus, cum caeteris ſuis collegis, egregiis et doctisſimis viris, ut Deus O. M. diu ſervet incolumem, in Eccleſiae patriae emolumentum et in rectae SS. Litterarum interpretationis, inter nostrates, promotionem, etiam atque etiam opto, et enixe precor.

De ipſo autem, quod nunc doctorum virorum judicio ſubmittimus, opere nolumus quidquam praefari, niſi, hoc, quod ſtatim in oculos incurret: nos quidem cum LIMBURG-BROUWERO viro doctisſ. eâdem viâ ingresſos, nostris tamen vestigiis processisse. Quantaecunque autem ſint laudes L. BROUWERI, nostram tamen disputationem non omni merito prorſus fore deſtitutam, ſperamus et viris doctis, ſaltem quod ad industriam, quâ eam conſcripſimus, attinet, ſeſe probaturam. Superest, ut de operis diviſione verbo dicamus.

— Ha-

— Habet disputatio nostra duas partes, quarum prior ea complectitur: *quae Parabolas J. C. universe spectant;* posterior tradet *observationes sive regulas quasdam, quae magis in specie pertinent ad harum parabolarum interpretationem.*

Ut autem benigne de hoc opere, et de naevis, quos hîc illîc in eo reperient, artis periti judicent et subsecivum id esse existiment, etiam atque etiam rogatos eos velim. Quodsi autem ex hoc opere SS. Litterarum studiosis aliquid emolumenti accidat, id laboris mei sat dignum praemium ducam.

Dabam Delphis A°. MDCCCXXVI. Mensis Januarii die vicesimo nono.

PARS

PARS PRIOR

EXHIBENS

OBSERVATIONES QUASDAM,

QUAE PARABOLAS JESU UNIVERSE SPECTANT.

---

§ 1.

Quid ſit parabola.

Ad recte definiendam *parabolae* notionem, non grammaticis ſolum et etymologicis rationibus est inſiſtendum, ſed conſulendus est uſus " *penes* " *quem arbitrium est et jus et norma loquendi.*" Quod autem *etymologiam* nominis attinet, non est, quod multis de eâ agamus; dicitur enim *parabola* ἀπὸ τοῦ παραβάλλειν, quod, praeter alias notiones, habet quoque ſignificationem *conferendi*, *aſſimilandi;* proprie *jaciendae* vel *ponendae alterius rei juxta alteram*, ſimilitudinis inveniendae cauſâ. Hinc generalior vocis parabolae notio est: *collatio quaevis.* Simili fere ratione Hebraeorum מָשָׁל et מְשָׁלִים, quae *parabolam* et *parabolas* ſignificant, notione ſcilicet illâ generaliori, derivantur a radice מָשַׁל, quod notat *aequum* ſive *par fecit*,

cit, *aequiparavit*, hinc *aequiparando contulit* (*). Sed videamus de *usu vocis* et studiose indagemus, quid veteres Graeci atque Romani, inprimis quoque, quid, his antiquiores etiam Hebraei, voce παραβολὴ et משל usi, per eam intellexerint, aut quamnam notionem, sive generalem magis, sive specialem, ipsi tribuerint; ut, his rite perpensis, jam accedamus ad investigandam et constituendam vocis parabolae, in N. T. scriptis, notionem, et sic viam nobis aperiamus, de iis parabolis, quibus Servator noster in docendo usus est, recte statuendi.

A Graecis igitur nobis investigandi erit initium et unum, ad instar omnium, rogemus *Aristotelem*, ut nobis explicet suam de notione parabolae sententiam. — Hic igitur *Rhetorr. lib. II. cap.* 20 περὶ παραδειγμάτων sic disserit: Λοιπὸν δὲ περὶ τῶν κοινῶν πίσεων ἁπασιν εἰπεῖν, ἐπεί περ εἴρηται περὶ τῶν ἰδίων. Εἰσὶ δὲ αἱ κοιναὶ πίσεις δύο τῷ γένει, παράδειγμα καὶ ἐνθύμημα, ἡ γὰρ γνώμη μέρος ἐνθυμήματος ἐστι. Πρῶτον μὲν ἓν περὶ παραδειγματος λέγωμεν· ὁμοίων γὰρ ἐπαγωγῇ τὸ παράδειγμα, ἡ δὲ ἐπαγωγὴ ἀρχή· παραδειγμάτων δὲ εἰδη δύο ἐστὶν· ἓν μὲν γὰρ ἐστι παραδειγματος, εἶδος τὸ λέγειν πράγματα προγεγενημένα· ἓν δὲ τὸ αὐτὸν ποιεῖν. Τούτου δὲ ἓν μὲν παραβολὴ·

(*) Vid. GLASSIUS *Philol. sacr. lib. II. P. I. tract. II. sect. V. art.* I. et SCHLEUSNERUS in *Lexico*, *voce* παραβολὴ, item VORSTIUS *Philol. sacr. pag.* 136. *edit.* FISCHERI et omnino quoque conferri meretur GOMARUS *Opp. tom. I. p.* 103*b*.

βολὴ· ἐν δὲ λόγοις, οἷον οἱ Αἰσωπικοὶ καὶ Λιβύκοι. Ἔστι δὲ τὸ μὲν παράδειγμα τοῖον δὲ τὶ, ὥσπερ ἐν τῷ λόγῳ, ὅτι δεῖ πρὸς βασιλέα παρασκευάζεσθαι, καὶ μὴ ἐᾷν Αἴγυπτον χειροῦσθαι· Καὶ γὰρ πρότερον Δαρεῖος, οὐ πρότερον ἐλίβη, πρὶν Αἴγυπτον λαβεῖν· λαβὼν δὲ, ἐλίβη. Καὶ πάλιν Ξέρξης οὐ πρότερον ἐπεχείρησε, πρὶν ἢ ἔλαβε· λαβὼν δὲ ἐλίβη. Ὥστε καὶ αὐτος, ἐὰν λάβῃ, διαβήσεται· διὸ ἐκ ἐπιτρεπτέον. Παραβολὴ δὲ, τὰ Σωκρατικὰ· οἷον ἐί τίς λόγοι, ὅτι οὐ δεῖ τὰς κληρωτὰς ἄρχειν· Ὅμοιον γὰρ, ὥσπερ εἴ τίς τὰς ἀθλητὰς κληροῖη, μὴ οἱ ἂν δύνωνται ἀγωνίζεσθαι, ἀλλ' οἱ ἂν λάχωσιν· ἢ τῶν πλωτήρων ὃν τινα δεῖ κυβερνᾶν κληροῦσθαι, ὡς δέον τὸν λαχόντα, ἀλλὰ μὴ τὸν ἐπιστάμενον. Λόγος δὲ οἷος ὁ Στησιχόρου, πρὸς Φάλαριν, καὶ Αἰσώπου ὅπερ τῷ δημαγωγῷ. Στησίχορος μὲν γὰρ ἑλομένων στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῶν Ἱμεραίων Φάλαριν, καὶ μελλόντων Φυλακὴν διδόναι τοῦ σώματος, τάλλα διαλεχθεὶς, εἶπεν αὐτοῖς λόγον ὡς· ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος· ἐλθοντος δὲ ἐλάφου, καὶ διαφθείροντος τὴν νομὴν, βουλόμενος τιμωρήσασθαι τὸν ἔλαφον, ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δυναίτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον· ὁ δὲ ἔφησεν, ἐὰν λάβῃ χαλινὸν, καὶ ἀυτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν, ἔχειν ἀκόντια. Συνομολογήσαντος δὲ, καὶ ἀναβάντος, ἀντὶ τοῦ τιμωρήσασθαι αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ. Οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς, ἔφη, ἐρᾶτε, μὴ τὰς πολεμίους βουλόμενοι τιμωρήσασθαι ταὐτὸ πάθητε τῷ ἵππῳ· τὸν μὲν γὰρ χαλινὸν ἤδη ἔχετε, ἑλόμενοι στρατηγὸν αὐτοκράτορα· ἐὰν δὲ φυλακὴν δῶτε, καὶ ἀναβῆναι ἐάσητε, δουλεύσετε ἤδη Φαλάριδι. Αἴσωπος δὲ ἐν Σάμῳ συνηγορῶν δημαγωγῷ κρινομένῳ περὶ θανάτου, ἔφη, ἀλώπεκα διαβαίνουσαν ποταμὸν ἁπωσθῆναι εἰς φάραγγα· οὐ δυναμένην δὲ ἐκβῆναι, πολὺν χρόνον κακοπαθεῖν, καὶ κυνοῦσθαι πολλοὺς ἔχεσθαι αὐτῆς. Ἐχῖνον δὲ πλανώμενον ὡς εἶδεν αὐτὴν, κατοικτείραντα ἐρωτᾶν, εἰ ἀφέλοι αὐτῆς τὰς κυνοῦσθας· τὴν δὲ ἐκ ἐᾶν· ἐρομένου δὲ διὰ τί; φάναι, ὅτι οὗτοι μὲν πλήρεις μου ἤδη εἰσὶ, καὶ ὀλίγον, ἑλκουσιν αἷμα· ἐὰν δὲ τούτους ἀφέλῃ, ἕτεροι ἐλθόντες πεινῶντες, ἐκπιοῦνται

μου

μὲν τὸ ἔπειτα λόγου. Ἅτερ ἐν τοῦ ἔπους, ἔφη, ὁ ἄνδρες Σάμιοι, οὐδὲν ἂν οὐδὲν ἔτι βεβαίωσιν πλείονος γὰρ ἕνεκα καὶ δὲ τούτου ἀναγκαῖόν ἐστι, ὅτερον ἄρχεται τοῦτος, εἰ ἔχοιν ἀποδείξαι, τὰ λοιπὰ πλείστους· εἰσὶ δὲ οἱ λόγοι διαφόροι, καὶ ἔχοιεν ἀναβὰν τοῦτο, ὅτι πράγματα μὲν εἰσὶν ἴσα γεγονότα, χαλεποὶ λόγοι δὲ μόνον ποιοῦσι· γὰρ δεῖ ἄστερ καὶ παραβολὰς, εἴ τις δυνήσεται τὸ ἔμπροσθεν ἀφῶ, ὅπερ βέβαιον ἐν ἀφελεσφίας ἡμῖν μὲν οὖν ποιήσασθαι τὰ διὰ τῶν λόγων χρησιμώτατα δὲ πρὸς τὸ βεβαιώσασθαι, τὰ διὰ τῶν πραγμάτων ἅπαντα γὰρ ὡς ἐπιτόπου τὰ μελλοντα τοῖς γεγονοσι δεῖ δὲ χρῆσθαι τοῖς παραδείγμασι, μὴ ἔχοντα μὲν ἐνθυμήματα, ὡς ἀποδείξεν· ἡ γὰρ πίστις διὰ τούτων ἔχοντα δὲ, ὡς μαρτυρίαις, ἐπιλόγοις χρήσιμον ἐπὶ τοῖς ἐνθυμήμασι. Προτιθέμεθα μὲν γὰρ ἔπειν ἐπαγωγῇ· ἔστι δὲ ἐπαγωγὴ ἐν ἀγείοις ἐπαγωγὴ, πίστις ἐν ἐλέγχοις· ἐπιλεγόμεθα δὲ, μαρτυρίοις· ὁ δὲ μάρτυς παντάχοῦ πιθανός. Διὸ καὶ προτιθέντι μὲν, ἀνάγκη πολλὰ λέγειν· ἐπιλέγοντι δὲ, καὶ ἐν ἔπεσιν. Μάρτυς γὰρ πᾶσι καὶ ἐς χρήσιμος. Πόσα μὲν οὖν εἴδη παραδειγμάτων, καὶ πῶς αὐτοῖς καὶ πότε χρηστέον, εἴρηται. — „ *Restat, ut de iis disserа-*
„ *mus, quae universe fidem faciant, absolutâ*
„ *jam disputatione de iis, quae ad propriam,*
„ *in singulis rebus, fidem pertinent. Eorum*
„ *autem, quae ad fidem universe faciendam spec-*
„ *tant, duo sunt genera:* exemplum *et* ratiocina-
„ tio; (ἐνθύμημα) *nam* sententia (γνώμη) *ratiocina-*
„ *tionis pars est. Primum igitur de exemplo*
„ *dicamus, nam exemplum simile est* inductioni.
„ *Inductio vero est obvia in principio. Duae*
„ *autem exemplorum sunt species; nam* altera
„ *quidem exemplorum species consistit in narran-*

„ *dis*

„ *dis* rebus antea gestis, *altera in* ipsa fictione;
„ *hujus* (*fictionis*) *autem una forma* parabola *est*,
„ *altera* fabulae, *quales dicuntur Aesopicae ac*
„ *Libycae. Est autem* exemplum *hujusmodi quid:*
„ *ut, si quis moneret adversus regem* (*Persa-*
„ *rum*) *ad bellum praeparanda esse omnia, nec*
„ *permittendum, ut Aegypto potiatur; primum*
„ *enim, non ante Darium trajecisse* (*in Grae-*
„ *ciam*) *quam Aegypto erat potitus: deinde quo-*
„ *que Xerxem trajicere non sustinuisse antequam*
„ *Aegyptum ceperat; hâc autem occupatâ traje-*
„ *cisse; sic quoque hunc, Aegypto in potestate*
„ *redactâ trajecturum; quapropter non permit-*
„ *tendum.* Parabola *autem Socratica ratione*
„ *continetur: ut si quis moneret: non esse ad*
„ *magistratus adhibendos sorte lectos; simile enim*
„ *esse, si quis athletas eligeret, non eos, qui*
„ *certare valerent, sed quosque forte sortitos;*
„ *aut ex nautis sorte legeret, cui navis guber-*
„ *naculum traderet, quasi cui fors obtigeret*
„ *gubernare deberet, non vero rei peritus.* Fa-
„ bula *autem est, qualis illa Stesichori contra*
„ *Phalarim et Aesopi de Demagogo: Stesichorus*
„ *enim, lecto ab Ilimerensibus Phalaride ad*
„ *summum exercitus imperium, cum corporis*
„ *custodiam ei dare vellent, post alios sermones,*
„ *fabulam hanc ipsis proposuit: Equus in prato*

„ *pascebatur solus: cervo autem adveniente et*
„ *pabulum corrumpente, castigare cum voluit,*
„ *rogavitque hominem, num secum castigare cer-*
„ *vum posset. Hic autem respondit: si habenam*
„ *acciperet, ipseque in eum ascenderet, jaculis*
„ *instructus. Acceptâ autem conditione, cum*
„ *ascendisset equum, loco puniendi (cervum) ipse*
„ *jam (equus) in hominis servitutem venit. Pari*
„ *autem et vos modo videte, ne, cum poenas de*
„ *inimicis sumere cupiatis, idem vobis cum equo*
„ *accidat; nam habenam quidem jam accepistis,*
„ *cum ad summum eum imperium elegistis, si*
„ *vero custodiam ei detis, et ascendere quasi eum*
„ *sinatis, jam in Phalaridis servitutem venietis.*
„ *Aesopus autem, cum in (insula) Samo patro-*
„ *nus esset populi duci, causam capitis habenti,*
„ *dixit: vulpem, flumen cum trajiceret, deci-*
„ *disse in voraginem. Cum autem exire non pos-*
„ *set, diu male fuisse affectum, multasque cani-*
„ *nas muscas adhaesisse ipsi; herinaceum autem*
„ *vagantem, illa conspectâ, misericordiâ captum,*
„ *interrogasse, num abigeret ab ipsâ caninas*
„ *muscas? Illam autem haud permisisse. Quae-*
„ *rente illo; quâ de causâ [non permitteret illud*
„ *vulpes?] dixisse illam, quoniam istae quidem*
„ *plenae mei jam sunt et parum sanguinis exsu-*
„ *gunt; si vero has abegeris, aliae venientes*

„ *fa-*

„ *famelicae exhaurient mihi reliquum sanguinis.*
„ *Itaque et vobis inquit ô Viri Samii! iste non*
„ *amplius nocet, dives enim est. Si vero hunc*
„ *interfeceritis, alii venient pauperes, qui de-*
„ *peculantes publica vobis dilapidabunt. Sunt*
„ *autem istiusmodi fabulae concionibus accommo-*
„ *datae; habentque id commodi, quod difficile*
„ *quidem sit, invenire res gestas similes, fabu-*
„ *las autem (invenire) facilius.* Fingere *enim*
„ *(eas) oportet aeque ac parabolas, si quis, quid*
„ *(in re quaque) simile sit, cernere possit. Et*
„ *id quidem facilius est (studio) philosophiae.*
„ *Ac facilius quidem inveniuntur fabulae, uti-*
„ *liora autem sunt in consiliis rerum gestarum*
„ exempla. *Nam futura fere similia sunt prae-*
„ *teritis. — Uti autem exemplis eum oportet,*
„ *qui enthymematibus caret ad demonstrandum;*
„ *qui autem habet (enthymemata) is adhibere*
„ *exempla debet, tanquam testes, et iis uti veluti*
„ *epilogis post enthymeta. Cum autem in (ora-*
„ *tionis) initio ponantur similia sunt inductioni-*
„ *bus (ἐπαγωγαὶς). Oratoribus autem non propriae*
„ *sunt inductiones nisi in paucis. Cum vero sub-*
„ *jiciantur (sc. enthymematibus) testimoniis (nem-*
„ *pe similia sunt). Testis autem semper et ubi-*
„ *que ad persuadendum valet. Hinc quoque,*
„ *qui praemittit (exempla) eum necesse est mul-*

 „ *ta*

„ *ta adhibere* (*tanquam testes ſcilicet*). *Qui* „ *vero tanquam epilogo utitur exemplis*, *ei non* „ *niſi unico opus est. Nam vel unicus testis fide* „ *dignus utilis est* (*ſc. cauſae*). *Et ſic quidem* „ *expoſuimus*, quot *quidem* ſpecies *ſint exemplo-* „ *rum*, *et* quomodo *et* quando *his utendum*."

Ex hac igitur Aristotelis disputatione liquet, *parabolam* ei esſe exemplorum illam *ſpeciem*, quae *rebus vere gestis*, aut iis ſaltem, *quae*, *quamvis fictis*, *per ſe fieri posſint* continetur; cum altera exemplorum fictorum ſpecies *logis* ceu *fabulis* conſtet, fictis illis, *quaeque per ſe fieri nequeunt*. Itaque Aristoteles parabolae vocabulum, haud generaliori illa notione, quâ id pro *quâcunque collatione* uſurpatur, adhibet, ſed illud uni tantum collationum ſpeciei ac formae, *fictis* ſcilicet *exemplis*, *quae per ſe fieri posſint*, accommodat.

Sequitur AELIANUS, et quid ille ſentiat, ipſe nobis dicat. Hic igitur *Varr. Historr. lib. III. cap.* 33. vocem παραβολὴ uſurpare videtur generaliori ejus notione, quâ indicat *comparationem*, *collationem quamcunque*. Loco enim laudato, *de Satyró tibicine* ait, eum τρόπόν τινα τὴν τέχνην αὐτοῦ ἐκφαυλίζοντα παραβολῇ τῇ πρὸς φιλοσοφίαν h. e. „ *eum quo-* „ *dammodo artem ſuam vilem reddere eam com-* „ *parando cum philoſophiâ*."

Haec de Graecis ſufficiant, quandoquidem praeter

ter Aristotelem ac Aelianum alii testes nobis haud suppetunt. Consulendi porro forent Rhetores Graeci, qui de tropis ac figuris rhetoricis de industriâ egerunt.

Itaque ad *Romanos* progrediemur, Graecis magistris usos, et eos potissimum adeamus, qui artibus rhetoricis et oratoriis multam dederunt operam, ut ex iis cognoscamus, non tantum, quid de eo, quod quaerimus, senserint ipsi; sed ex eorum quoque sententiâ Graecorum, quos fere secuti sunt, rationem intelligamus. — Primas autem, inter Romanorum Oratores ac Rhetores, Ciceroni et Quinctiliano esse concedendas, neminem non nobis suffragaturum arbitramur.

Primus igitur, qui, ratione temporis quoque, est prior, in judicium vocandus est CICERO, ut ipse suam sententiam pronunciet. Hic igitur in *Topp. ad Trebat.* 10. sic *parabolam* ceu similitudinem per genera describit. — „ *Sunt* similitudines, *quae ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt, hoc modo: si tutor fidem praestare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator; haec ex pluribus perveniens, quo vult appellatur* inductio *quae Graece* ἐπαγωγὴ *nominatur, quâ plurimum est usus Socrates. Alterum similitudinis genus* collatione *sumitur; cum una res*

 „ *uni*,

„ *uni, par pari comparatur, hoc modo: quem-*
„ *admodum, si in urbe de finibus controversia*
„ *est, quia fines magis agrorum videntur esse,*
„ *quam urbis, finibus regundis adigere arbitrum*
„ *non possis; sic si aqua pluvia in urbe nocet,*
„ *quoniam res tota magis agrorum est, aquae*
„ *pluviae arcendae adigere non possis arbitrum.*
„ *Ex eodem*" sic pergit "*similitudinis loco etiam*
„ exempla *sumuntur, ac deinceps* ficta *etiam*
„ exempla" quae Aristoteli, ut vidimus, sunt
παραβολαὶ „ *similitudinis habent vim.*" *vid.* de Invent. I. 31.

De Orat. II. 40. „ *Ex* similitudine *autem*" inquit (sc. argumenta ducuntur) "*si ferae partus*
„ *suos diligunt, quâ nos in liberos nostros in-*
„ *dulgentiâ esse debemus?*"

De Invent. I. 30. „ Collatio *est*" inquit "*ora-*
„ *tio rem cum re ex similitudine conferens.* —
„ Exemplum *est, quod rem auctoritate aut casu*
„ *alicujus hominis aut negotii confirmat aut in-*
„ *firmat.*" Exempla autem ad *similitudinum* genera a Cicerone referri ex hoc quoque loco patet; paulo enim ante sic suam explicat sententiam: "comparabile *autem est, quod in rebus*
„ *diversis* similem aliquam *rationem continet, ejus*
„ *partes sunt*, imago, collatio, exemplum. "*Ima-*
„ *ginem* autem *de Invent. I.* 79. sic definit;

„ *est*

„ *est oratio demonstrans corporum aut naturarum*
„ *similitudinem.* Collatio" ibid. ei est, ut quoque
L. 30. „ *oratio rem cum re ex similitudine con-*
„ *ferens.* Exemplum *autem est, quod rem auc-*
„ *toritate aut casu alicujus hominis aut negotii*
„ *confirmat aut infirmat. Ipsum autem* compa-
„ rabile *cujus hae tres sunt partes sic definit:*
„ *comparabile est, quod in rebus diversis, simi-*
„ *lem aliquam rationem continet.*"

Ad similitudinum ceu parabolarum genus in universum Cicero quoque refert *inductionem*, quae Graecis est ἐπαγωγή, de quâ *de Invent. lib. I.* 81. sic disserit: "Inductio *est oratio, quae rebus non*
„ *dubiis captat assensionem ejus, quicum insti-*
„ *tuta est: quibus assensionibus facit, ut illi*
„ *dubia quaedam res, propter similitudinem earum*
„ *rerum, quibus assensit, probetur; velut apud*
„ *Socraticum Aeschinem demonstrat Socrates cum*
„ *Xenophontis uxore et cum ipso Xenophonte*
„ *Aspasiam locutam: dic mihi inquit quaesa*
„ *Xenophontis uxor; si vicina tua melius habeat*
„ *aurum, quam tu habes, utrum illius an tuum*
„ *malis? Illius inquit. Quodsi vestem et caete-*
„ *rum ornatum muliebrem pretii majoris habeat,*
„ *quam tu habes, tuumne an illius malis? Illius*
„ *vero respondit. Age inquit, si virum illa*
„ *meliorem habeat, quam tu habes, utrumne*

„ *tuum an illius malis? Hic mulier erubuit.*
„ *Aspasia autem cum ipso Xenophonte sermonem*
„ *instituit. Quaeso inquit Xenophon, si vicinus*
„ *tuus meliorem equum habeat, quam tuus est,*
„ *tuumne equum malis an illius? Illius inquit.*
„ *Quod si fundum meliorem habeat, quam tu*
„ *habes, utrum tandem habere fundum malis?*
„ *Illum inquit, meliorem scilicet. Quodsi uxo-*
„ *rem meliorem habeat, quam tu habes utrum*
„ *illius malis? Atque hic Xenophon quoque ipse*
„ *tacuit. Post Aspasia, quoniam uterque ves-*
„ *trûm id mihi solum non respondit, quod ego*
„ *solum audire volueram, egomet dicam, quid*
„ *uterque cogitet. Nam et tu mulier optimum*
„ *virum mavis habere et tu Xenophon uxorem*
„ *habere lectissimam maxime vis. Quare, nisi*
„ *hoc perfeceritis, ut neque vir melior, neque*
„ *foemina lectior in terris sit, profecto id sem-*
„ *per, quod optimum putabitis esse, multo maxi-*
„ *me requiretis, et tu, ut maritus sis quam op-*
„ *timae mulieris et haec, ut quam optimo viro*
„ *nupta sit. Hic cum rebus non dubiis esset as-*
„ *sensum, factum est, propter similitudinem,*
„ *ut etiam illud, quod dubium videbatur, si quis*
„ *separatim quaereret, id pro certo, propter ra-*
„ *tionem rogandi, concederetur. Hoc modo ser-*
„ *monis plurimum Socrates usus est, propterea,*

„ *quod*

„ *quod nihil ipse ad persuadendum afferre vole-*
„ *bat, sed ex eo, quod sibi ille dederat, qui-*
„ *cum disputabat, aliquid conficere malebat,*
„ *quod ille ex eo, quod jam concessisset, neces-*
„ *sario approbare deberet.*"

Huc quoque pertinent, quae de vario similitudinum seu parabolarum genere disserit auctor ad HERENNIUM. Et primum quidem, quod ad *similitudinum* universam notionem attinet cap. IV. 99. "Similitudo *est*" inquit „ *oratio traducens*
„ *ad rem quampiam aliquid ex re dispari simi-*
„ *le. Ea sumitur aut* ornandi *causâ, aut* pro-
„ bandi, *aut* apertius dicendi, *aut* ante oculos
„ ponendi. *Quomodo igitur quatuor de causis*
„ *sumitur, ita quatuor modis dicitur, per* con-
„ trarium, *per* negationem, *per* collationem, *per*
„ brevitatem. 1.) Ornandi *causâ sumitur per*
„ a. contrarium *sic: non enim, quemadmodum in*
„ *palaestra, qui taedas candentes accipit cele-*
„ *rior est in cursu continuo, quam ille, qui tra-*
„ *dit, ita melior imperator novus, qui accipit*
„ *exercitum, quam ille, qui decedit: propterea,*
„ *quod defatigatus cursor integro facem, hic pe-*
„ *ritus imperator imperito exercitum tradit.*
„ *Hoc sine simili satis plane et perspicue dici*
„ *potuit hoc modo: dicitur minus bonos impera-*
„ *tores a melioribus exercitum accipere solere,*

„ *sed ornandi causâ simile sumtum est, ut ora-*
„ *tioni dignitas quaedam comparetur. Dictum*
„ *autem est per contrarium. Nam tunc simili-*
„ *tudo sumitur per contrarium, quando ei rei,*
„ *quem nos probamus, aliquam rem negamus esse*
„ *similem, ut paulo ante, cum de cursoribus*
„ *disserebamus.* 2.) b. *per* negationem *dicetur*
„ probandi *causâ, hoc modo: neque equus indo-*
„ *mitus, quamvis naturâ bene compositus sit, ido-*
„ *neus potest esse ad eas utilitates et aptus, quae*
„ *desiderantur ab equo; neque homo indoctus,*
„ *quamvis sit ingeniosus ad virtutem potest per-*
„ *venire. Hoc probabilius factum est, quod*
„ *magis est verisimile, non posse virtutem sine*
„ *doctrinâ comparari, quoniam nec equus indo-*
„ *mitus idoneus possit esse. Ergo sumtum est*
„ *probandi causa. Dictum est autem per nega-*
„ *tionem, id enim perspicuum est de primo simi-*
„ *litudinis verbo.* 3.) Apertius dicendi *causa*
„ *similitudo dicitur per* d. brevitatem *hoc modo:*
„ *in amicitiâ gerendâ sicut in certamine curren-*
„ *di, non ita convenit exerceri, ut, quoad ne-*
„ *cesse sit, pervenire possis, sed ut productus stu-*
„ *dio et viribus ultra facile procurras. Nam*
„ *hoc simile est, ut apertius intelligatur, malâ*
„ *ratione facere, qui reprehendant eos, qui, ver-*
„ *bi causâ, post mortem amici, liberos ejus custo-*
„ *diant,*

„ *diam; propterea, quod in cursore tantum ve-*
„ *locitatis esse oporteat, ut efferatur usque ad*
„ *finem, in amico tantum benivolentiae studium,*
„ *ut ultra, quam amicus sentire possit, procur-*
„ *rat amicitiae studio. Dictum autem simile est*
„ *per brevitatem. Non enim ita, ut in caeteris*
„ *rebus, res ab re separata est, sed utraeque res*
„ *conjunctae et confusae pronunciatae.* 4.) Ante
„ oculos ponendi *negotii causa sumetur similitudo*
„ c. *per* collationem *sic: uti Citharoedus, cum*
„ *prodierit optime vestitus, pallâ inauratâ in-*
„ *dutus, cum chlamyde purpureâ, coloribus va-*
„ *riis intextâ et cum coronâ aureâ, magnis*
„ *fulgentibus gemmis illuminata, citharam te-*
„ *nens exornatissimam, auro et ebore distinc-*
„ *tam, ipse praeterea formâ et specie sit et sta-*
„ *turâ appositâ ad dignitatem, si, cum magnam*
„ *populo commoverit his rebus exspectationem,*
„ *repente, silentio facto, vocem emittat acerbis-*
„ *simam, cum turpissimo corporis motu, quo me-*
„ *lius ornatus et magis fuerit exspectatus eo ma-*
„ *gis derisus et contemptus ejicitur: ita, si quis*
„ *in excelso loco et in magnis ac locupletibus*
„ *copiis collocatus, fortunae muneribus et natu-*
„ *rae commodis omnibus abundabit, si virtutis*
„ *et artium, quae virtutis magistrae sunt, ege-*
„ *bit, quo magis caeteris rebus erit copiosus et*

„ *il-*

„ *illustris et exſpectatus, eo vehementius deriſus*
„ *et contemptus ex omni conventu bonorum ejici-*
„ *tur. Hoc ſimile exornatione utriusque rei et*
„ *alterius inſcitiâ artificii, alterius ſtultitiâ ſi-*
„ *mili ratione collatâ, ſub aſpectu omnium rem*
„ *ſubjecit. Dictum autem est per* collationem,
„ *propterea, quod propoſitâ ſimilitudine* paria ſunt
„ *relata omnia.*" (*) Quid porro in ſimilibus obſervandum et ad facilem ſimilium inventionem requiratur de eo in ſequentibus auctor disſerit.

De *exemplo* IV. 105. ſic ſuam explicat mentem.
„ *Exemplum est alicujus facti aut dicti praete-*
„ *riti cum certi auctoris nomine propoſitio. Id*
„ *ſumitur iisdem de cauſis, quibus ſimilitudo.*
„ *Rem* ornatiorem *facit, cum nullius rei, niſi*
„ *dignitatis cauſa ſumitur.* Apertiorem, *cum*
„ *id, quod ſit obſcurius magis dilucidum red-*
„ *dit;* probabiliorem *cum magis veriſimilem fa-*
„ *cit.* Ante oculos *ponit, cum exprimit omnia*
„ *perſpicue ut res dicta prope manu teneri pos-*
„ *ſit.*"

Quid porro ſit *imago* auctor IV. 106. exponit.
"*Imago*" inquit" *est formae cum formâ cum qua-*
„ *dam*

(*) Vid. J. LUBLINK DEN JONGEN, *I. D. VII. Verhandeling over de eigenſchappen en het gebruik van gelijkenisſen, pag.* 199. *fin. et ſeq. et* 208 *ſeqq.*

„ *dam similitudine collatio. Haec sumitur aut*
„ *laudis, aut vituperationis causâ.* Laudis *cau-*
„ *sâ sic: ibant in proelium corpore validissimi,*
„ *impetu leonis acerrimi similes.* Vituperationis,
„ *ut, in odium aut in invidiam aut in contemp-*
„ *tionem adducat. Ut in* odium, *hoc modo: iste*
„ *quotidie per forum medium, tanquam jubatus*
„ *draco, serpit, aspectu rabido circumspectans*
„ *huc et illuc, si quem reperiat, cui aliquid*
„ *mali faucibus afflare, quem ore attingere,*
„ *dentibus insecare, linguâ aspergere possit. Ut*
„ *in* invidiam *adducat, hoc modo: iste, qui divi-*
„ *tias suas jactat, sicut Gallus e Phrygia, aut*
„ *ariolus quispiam depressus et oneratus auro,*
„ *clamat et dejerat. Ut in* contemptionem *addu-*
„ *cat sic: iste, qui tanquam cochlea abscondens*
„ *retentat sese tacitus, quo sit tutus comeditur*
„ *cum domo suâ et aufertur.*"

Jam vero videamus adhuc de *translatione* et *permutatione*, quae ab auctore nostro quoque ad similitudinum sive collationum genus referuntur.

„ *Translatio est*" inquit, "*cum verbum in*
„ *quandam rem transfertur ex aliâ re, quod,*
„ *propter similitudinem, recte videtur posse*
„ *transferri. Eâ utimur* ante oculos ponendi
„ *causâ sic: hic Italiam tumultus* expergefecit
„ *terrore subito.* Brevitatis *causâ sic: recens*

„ *ad-*

„ *adventus exercitus subito civitatem* exstinxit. „ Obscoenitatis vitandae *causâ sic: cujus mater* „ quotidianis nuptiis *delectatur.* Augendi *causâ* „ *sic: nullius moeror et calamitas istius* explere „ *inimicitias et nefariam* saturare *crudelitatem* „ *potuit.* Minuendi *causâ sic: magno se praedi-* „ *cat auxilio fuisse, quia paululum in rebus* „ *difficillimis* aspiravit. Ornandi *causâ sic: ali-* „ *quando reipublicae rationes, quae malitiâ no-* „ *centum* exaruerunt, *virtute optimatum* revires- „ cunt." (*) Translatio igitur eadem est atque *metaphora*, quae Graece dicitur.

De *permutatione* autem, quae Graecis est *allegoria*, lib. IV. cap. 78. sic noster disputat. „ *Permu-* „ *tatio*" inquit "*est oratio, aliud verbis, aliud* „ *sententiâ demonstrans. Ea dividitur in tres* „ *partes:* similitudinem, argumentum, contra- „ rium. *Per* similitudinem *sumitur, cum trans-* „ *lationes una aut plures frequentes ponuntur a* „ *simplici ratione ductae, sic: nam cum canes* „ *fungantur officiis luporum cuinam praesidio pe-* „ *cuaria credemus? Per* argumentem *tractatur* „ *cum a personâ aut a loco aut a re aliquâ simi-* „ *li-*

(*) Vid. J. LUBLINK DEN JONGEN, *lib. et loc. laud. pag.* 201 *seqq.* BATTEUX, *principes de la Literature, tom. IV. chap. III. p.* 90.

„ *litudo augendi, aut minuendi causâ ducitur.*
„ *Ut si quis Drusum Gracchum Numitorem ob-*
„ *soletum dicat. Ex* contrario *ducitur sic: ut*
„ *si quis hominem prodigum et luxuriosum illu-*
„ *dens parcum et diligentem appellet. Et in hoc*
„ *postremo, quod ex contrario sumitur, et illo*
„ *primo, quod a similitudine ducitur per trans-*
„ *lationem argumento poterimus uti. Per* simi-
„ litudinem *sic: quid ait hic rex atque Agamem-*
„ *non noster? sive, ut crudelis est potius Atreus?*
„ *Ex* contrario, *si quem impium qui patrem ver-*
„ *beraverit Aeneam vocemus; intemperantem et*
„ *adulterum Hippolytum nominemus.*" (*)

Et haec fere sunt, e quibus, quae CICERO, quaeque auctor ad HERENNIUM de similitudinum aut collationum genere ac ratione cogitaverint, efficere nobis licebit.

Ex his autem, quae citavimus, locis liquet *parabolam* universe Ciceroni esse *similitudinem* et *collationem quamcunque*, in specie autem *exemplum*, quod, quamvis fictum aliquando, tamen veritatis semper speciem referat, ita sit compositum, ut per se res proposita in similitudinem fieri pos-

(*) Vid. J. LUBLINK DEN JONGEN, *lib. et loc. laud. p.* 203. *fin. seqq.* BATTEUX. *lib. laud. part. IV. cap. III. pag.* 91.

posſit. Complectitur igitur Cicero parabolae ceu ſimilitudinis notione omnis generis *exempla*, ſive breviora ſive quoque magis explicita.

Vocato jam in examen Cicerone, et dictâ ab eo ſententiâ, animum advertamus QUINCTILIANO, utque ſententiam ſuam nobis dicat, eum quoque rogemus. Hic igitur *Inſt. Orat. lib. V.* 11. de *ſimilibus* ſic disſerit: "*Tertium genus ex iis,* „ *quae extrinſecus adducuntur in cauſam, Graeci* „ *vocant* παραδείγμα, *quo nomine uſi ſunt in omni* „ *ſimilium appoſitione* (παράθεσι παραβολῆ) *et ſpecia-* „ *liter in iis, quae rerum gestarum auctoritate* „ *nituntur.* (*) *Nostri fere Romani,* ſimilitu- „ dinem *vocare maluerunt, quod ab illis* παραβολὴ „ *dicitur, hoc alterum exemplum, nos, quo fa-* „ *cilius propoſitum explicemus, utrumque* παραδείγμα „ *eſse credamus et ipſi appellemus* exemplum. (†)

„ *Nec*

(*) Vid. Quae ſupra ex Aristotele citavimus.

(†). Scil. judice Aristotele, παράδειγμα ceu *exemplum* duas habuit ſpecies, altera conſiſtens in narrandis *rebus antea gestis*, altera in ipſa *fictione*. Fictorum autem exemplorum una forma erat, παραβολὴ altera λόγος ceu αἶνος. Prima ficta erat ad ſimilitudinem veri, altera ita ficta, ut per ſe fieri aut esſe non posſet, ut fabulae fere erant Aesopicae. Quinctilianus igitur Graecorum auctoritate parabolas h. e. fictas ad veri ſimilitudinem narrationes ad exemplorum ceu παραδειγμάτων genus referendas cenſet.

„ *Nec vereor, ne videar repugnare Ciceroni, qui*
„ collationem *separat ab* exemplo. *Nam idem*
„ *omnem argumentationem dividit in duas par-*
„ *tes*, inductionem *et* ratiocinationem (*), *ut*
„ *plerique Graecorum in* παραδείγματα *et* ἐπιχειρήματα"
(pro quo Aristoteles, loco laud. habet ἐνθυμήματα)
„ *dixeruntque* παράδειγμα ῥητορικὴν ἐπαγωγήν; *nam illa,*
„ (ἐπαγωγὴ *scil.*) *qua plurimum Socrates est usus,*
„ *hanc habuit viam: cum plura interrogasset,*
„ *quae fateri adversario necesse esset, novissime*
„ *id, de quo quaerebatur inferebat, cui simile*
„ *concessisset* (*sc. adversarius*) *id est* inductio (†).
„ *Similitudo assumitur interim et ad orationis*
„ *ornatum. Potentissimum autem est inter ea,*
„ *quae sunt hujus generis, quod proprie voca-*
„ *mus* exemplum, *id est rei gestae, aut ut ges-*
„ *tae, utilis ad persuadendum id, quod intende-*
„ *ris*, commemoratio (§). *Intuendum igitur, to-*
„ *tum simile sit, an ex parte, ut aut omnia ex*
„ *eo sumamus, aut quae utilia erunt. Eadem*
„ *ratio est eorum, quae ex* poëticis fabulis *du-*
„ *cun-*

(*) *De Invent. I.* 31.

(†) Vidd. Quae supra, e CICERONIS *de Invent. lib. I.* 81. citavimus.

(§) Vid. locus, quem supra ex ARISTOTELE citavimus.

„ *cuntur, nisi quod iis minus affirmationis adhi-*
„ *betur, cujus usus, qualis esse deberet, idem op-*
„ *timus auctor ac magister eloquentiae*" (*Cicero*)
„ "*ostendit. Illae quoque* fabulae, *quae, etiamsi*
„ *originem non ab Aesopo acceperunt* (*nam vi-*
„ *detur earum primus auctor Hesiodus*) *nomine*
„ *tamen* Aesopi *maxime celebrantur, ducere ani-*
„ *mos solent, praecipue rusticorum et imperito-*
„ *rum, qui et simplicius, quae ficta sunt audi-*
„ *unt, et capti voluptate facile iis, quibus de-*
„ *lectantur, consentiunt. Si quidem Menenius*
„ *Agrippa plebem cum patribus in gratiam tra-*
„ *ditur reduxisse notâ illâ, de membris humanis*
„ *adversus ventrem discordantibus, fabulâ,* ἄινον
„ *Graeci vocant et* αἰσωποποιήτον, *ut dixi;* λόγους μυ-
„ θικοὺς *nostrorum quidam; non sane recepto in*
„ *usum nomine*, apologationem, *cui confine est*
„ παροιμίας *genus illud, quod est velut fabella bre-*
„ *vior et per allegoriam accipitur.* Non nostrum
„ *inquit*, onus, bos clitellas. *Proximas exemplo*
„ *vires habet* similitudo, *praecipueque illa, quae*
„ *ducitur citra ullam translationum mixturam*
„ *ex rebus paene paribus:* ut, qui accipere in
„ campo consueverunt, iis candidatis, quorum
„ nummos suppressos esse putant, inimicissimi so-
„ lent esse: sic ejusmodi judices infesti tum reo
„ venerant. *Nam* παραβολὴ, *quam Cicero* collatio-
„ nem

„ nem *vocat longius res, quae comparentur re-*
„ *petere solet. Nec hominum modo inter se opera*
„ *similia spectantur, ut Cicero, pro* MURAENA *fa-*
„ *cit:* quod si e portu solventibus, ii, qui jam
„ in portum ex alto invehuntur, praedicere sum-
„ mo studio solent et tempestatum rationem et
„ praedonum et locorum, quod natura fert, ut iis
„ faveamus, qui eadem pericula, quibus nos per-
„ functi sumus, ingrediantur: quo me tandem
„ animo esse oportet, prope jam, ex magna jac-
„ tatione, terram videntem, in hunc, cui video
„ maximas reipublicae tempestates esse subeundas?
„ *Sed et a mutis atque etiam inanimis interim*
„ *hujusmodi ducitur. Et quoniam similium alia*
„ *facies est in tali ratione, admonendum est,*
„ *rarius esse in oratione illud genus, quod* εἰκόνα
„ *Graeci vocant (quo exprimitur rerum aut per-*
„ *sonarum* imago) *quam id, quo probabilius fit,*
„ *quod intendimus: ut, si animum dicas excolen-*
„ *dum, similitudine utaris terrae, quae neglec-*
„ *ta sentes atque dumos, culta fructus creat:*
„ *aut, si ad curam reipublicae horteris, osten-*
„ *das, apes etiam, formicasque, non modo mu-*
„ *ta, sed etiam parva animalia, in commune ta-*
„ *men laborare caet.*" Ut autem melius cognos-
camus, quid per τὴν εἰκόνα intelligat Quinctilianus,
quae ratio familiaris erat Platoni; ex hujus libro

de Republ. VI. cap. 4. ejus generis exemplum citabimus, quo Socrates, qui loquens inducitur, Adimanto, venustissimâ imagine, a re nauticâ petitâ, quasi ante oculos ponit, quemadmodum adversus veros philosophos affecti sint cives, in civitate. νόησον γὰρ inquit τοιοῦτον γενόμενον ἔντε πολλῶν νεῶν πέρι ἔντε μιᾶς ναύκληρον μεγέθει μὲν καὶ ῥώμῃ ὑπὲρ τοὺς ἐν τῇ νηῒ ἅπαντας ὑπόκωφον δὲ καὶ ὁρῶντα ὡσαύτως βραχύ τι καὶ γιγνώσκοντα περὶ ναυτικῶν, ἕτερα τοιαῦτα· τὲς δὲ ναύτας εἰσιάζοντας πρὸς ἀλλήλους περὶ τῆς κυβερνήσεως ἕκαστον οἰόμενον δεῖν κυβερνᾶν μήτε μαθόντα ποώποτε τὴν τέχνην μήτε ἔχοντα ἀποδεῖξαι διδάσκαλον ἑαυτοῦ, μηδὲ χρόνον, ἐν ᾧ ἐμάνθανε, πρὸς δὲ τούτοις φάσκοντας μηδὲ διδακτὸν εἶναι ἀλλὰ καὶ τὸν λέγοντα ὡς διδακτὸν, ἑτοίμους κατατέμνειν· αὐτοὺς δὲ αὐτῷ ναυκλήρῳ περιμαχέσθαι δεομένης καὶ πάντα ποιοῦντας ὅπως ἂν σφισὶ τὸ πηδάλιον ἐπιτρέψαι· ἐνίοτε δ' ἂν μὴ πείθωσιν, ἀλλὰ ἄλλοι μάλλον, τοὺς μὲν ἄλλους ἢ ἀποκτιννύντας, ἢ ἐκβάλλοντας ἐκ τῆς νεῶς, τὸν δὲ γενναῖον ναύκληρον μανδραγόρᾳ ἢ μέθῃ ἢ τινι ἄλλῳ ξυμποδίσαντας, τῆς νεὼς ἄρχειν, χρωμένους τοῖς ἐνοῦσι, καὶ πίνοντάς καὶ εὐωχουμένης πλεῖν, ὡς τὸ εἰκὸς τοὺς τοιούτους· πρὸς δὲ τούτοις ἐπαινοῦντας, ναυτικὸν μὲν καλοῦντας, καὶ κυβερνητικὸν καὶ ἐπιστάμενον, τὰ κατὰ ναῦν, ὃς ἂν ξυλλαμβάνειν δεινὸς ᾖ, ὅπως ἄρξωσιν, ἢ πείθοντες, ἢ βιαζόμενοι τὸν ναύκληρον, τὸν δὲ μὴ τοιοῦτον φέγοντας ὡς ἄχρηστον, τοῦ δὲ ἀληθινοῦ κυβερνήτου περὶ μήδ' ἐπαίοντας ὅτι ἀνάγκη αὐτῷ τὴν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι ἐνιαυτοῦ, καὶ ὡρῶν, καὶ οὐρανοῦ, καὶ ἄστρων καὶ πνευμάτων, καὶ πάντων τῶν τῇ τέχνῃ προσηκόντων, εἰ μέλλει τῷ ὄντι νεὼς ἀρχικὸς ἔσεσθαι, ὅπως δὲ κυβερνήσει, ἐάν τέ τινες βέλωνται, ἐὰν τε μὴ, μήτε τέχνην τούτου, μήτε μελέτην οἰομένους δυνατὸν εἶναι λαβεῖν ἅμα καὶ τὴν κυβερνητικὴν· τοιούτων δὴ περὶ τὰς ναῦς γιγνομένων

ῥων τὴν ὡς ἀληθῶς κυβερνητικὸν οὐχ ἡγῇ ἐν τῷ ὄντι μετεωροσκόπον τε καὶ ἀδολέσχην, καὶ ἀχρηστόν φήσει καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἐν ταῖς ὕτω κατεσκευασμέναις ναυσὶ πλωτήρων; καὶ μάλα ἔφη ὁ Ἀδείμαντος. Οὐ δῆ, ἦν δ' ἐγώ, οἶμαι δεῖσθαί σε ἀξυναζομένην τὴν εἰκόνα ἰδεῖν, ὅτι ταῖς πόλεσι πρὸς τοὺς ἀληθινοὺς φιλοσόφους τὴν διάθεσιν ἔοικεν, ἀλλὰ μανθάνω ὃ λέγω. "*Finge animo quendam navis aut classis* „ *gubernatorem hujusmodi, magnitudine et ro-* „ *bore corporis reliquos nautas excedentem, sur-* „ *dum vero et caligantibus oculis et mente gu-* „ *bernationis inscià; nautas autem de guberna-* „ *tione in vicem decertantes, et unumquemque* „ *putantem se imperio dignum, cum nec artem* „ *didicerit unquam, nec sui praeceptorem ullum* „ *possit ostendere, neque quo tempore didicerit* „ *assignare, negantes quin etiam artem illam* „ *doceri posse, eumque, qui doceri posse asseve-* „ *raverit, ferro petentes. Ipsos autem cogita cir-* „ *ca gubernatorem illum confluentes, eum obse-* „ *crare et obnixe contendere, ut ipsis gubernacula* „ *tradat. Quandoque vero, si isti non persuase-* „ *rint, sed alii potius, alios vel perimere vel e* „ *navi ejicere: generosum autem illum navis* „ *principem mandragorâ aut mero occupare, at-* „ *que ita gubernationem navis arripere, utentes* „ *praesentibus rebus, vino et epulis indulgentes,* „ *sed ita ducentes (navem sc.), ut ejusmodi ho-* „ *mines verisimile est. Omnes praeterea laudare*

 „ *il-*

„ *illum, nautamque et gubernatorem vocare, et,*
„ *quae ad navem regendam spectant callere, qui-*
„ *cunque eos ad usurpandum navis principatum*
„ *instruere possit vel persuasione vel vi, guberna-*
„ *tore submoto: eum vero, qui id nequeat tan-*
„ *quam inutilem vituperare: veri autem guber-*
„ *natoris officium ignorare, quod videlicet ad*
„ *eum spectet, rationem habere anni et tempo-*
„ *rum, coeli, siderum et ventorum, omnium,*
„ *quae ad artem illam attinent, si dux navis est*
„ *reverâ futurus: ut vero gubernet seu volenti-*
„ *bus quibusdam, sive invitis, hujus ipsius artem*
„ *nullam putantes accipi posse simul et guberna-*
„ *toriam facultatem. His utique circa naves*
„ *contingentibus, an non verum gubernatorem*
„ *censes ab illis, qui talibus vehuntur navibus,*
„ *inanem et curiosum rerum sublimium inspecto-*
„ *rem et navi ipsi inutilem vocitari?* Adim. *Et*
„ *maxime quidem.* Soc. *Haudquaquam opus esse*
„ *arbitror, ut tibi latius explicem, quemadmo-*
„ *dum ad propositae comparationis imaginem ita*
„ *in civitatibus affecti sunt adversus veros philo-*
„ *sophos cives, ut in ejusmodi navibus ad verum*
„ *gubernatorem nautae; sed intelligere te existi-*
„ *mo.*" Alia hujusmodi εἰκόνων exempla occurrunt cap. 7. et lib. VII. init. Sed sufficit, ad hujus similis formam cognoscendam, unum hoc exemplum citasse.

Ex

Ex his igitur, rite consideratis, constare videtur, Romanos per παραβολὴν seu *collationem* universe intellexisse *simile quodvis*, quamquam ad generalem hanc notionem exprimendam usi quoque sunt παραδείγματος et *exempli* nomine; quod autem Cicero a collatione, tanquam aliam ac diversam speciem, una cum exemplorum specie, universo similitudinum generi subjectam, distinguit. Huic universo generi tanquam totidem species seu formas subjecerunt: *primum* τὴν ἐπαγωγὴν, seu *inductionem*, proprie sic dictam, (nam de omni similitudinis formâ generatim quoque Cicero hoc vocabulo usus est,) quam plurimum Socrates, ut e Platonis dialogis constat, usurpavit; *deinde: exemplum* proprie sic dictum; quâ similis formâ Ciceronis orationes sunt refertae; *porro: fabulas poëticas;* eas *deinceps* quoque *fabulas*, quae AESOPI maxime nomine celebrantur, Graecis αἶνοι et αἰσωποποιήτα, λόγοι quoque μύθικοι ac ἀπόλογοι dictae; *sequitur: similitudo* illa simplex, praecipue, quae ducitur ex rebus paene paribus: tum ἡ παραβολὴ speciali notione seu *collatio*, quae longius res, quae comparentur, quam simplex similitudo, repetere solet, non tantum a ratione praeditis, ac animatis, sed a mutis quoque et inanimis; *tandem* rarior illa forma, quam Graeci εἰκόνα, Romani *imaginem* vocant. Quin etiam huc referunt κρίσεις, (*judicia* aut *judicationes* vocant,) nec non *sententias*, γνώμας et παρ-

ιμίας seu *proverbia*, quae a Quinctiliano, tanquam totidem formae, universo similitudinum generi subjiciuntur. — Si verum autem fatendum est, uterque, quem citavimus, auctor subtilius quidem de similium ratione videtur disseruisse; genera autem et formas non ita accurate distinxisse et earum vim atque naturam tam arctis terminis definivisse, ut certo de his omnibus statuere et, tanquam alter Apollo, *sic* pronunciare mihi liceat, ut contra nihil dici possit.

Ut autem, quem nobis proposuimus ordinem, sequamur, jam inquirendum nobis erit, quid *Veteres* HEBRAEI, voce παραβολή, intellexerint. Notum est Hebraeos non, aeque ac Graecos atque Romanos, suos habuisse Rhetores, qui, "*quae sua* "*sponte*," ut dicit CRASSUS apud Ciceronem (*) „ *homines eloquentes facerent, ea observaverint* „ *atque digesserint*," et inde artem atque rationem dicendi effecerint. Ut igitur, quamnam notionem illi vocabulo παραβολή tribuerint, cognoscamus, eorum, quae supersunt, scripta diligenter sunt excutienda. Cum autem, praeter libros eorum sacros, qui *Veteris* dicuntur *Testamenti*, alios, que nonnullos, qui *Apocryphorum* nomine insigniuntur, alia ad nostram memoriam non pervenerint scrip-

(*) De *Orat. I. cap.* 32.

ſcripta (nam de Rabbinorum ſcriptis, quae ſerioris ſunt aevi hic non disferemus), hi unice nobis adeundi ſunt libri et in primis ii quidem, qui poëticam habent rationem, ad quos referenda omnino ſunt Prophetarum ſcripta, imaginibus, allegoriis aliisque *figuris*, quae dicuntur, *rhetoricis* referta. — Itaque animum ſi advertamus ad haec Hebraeorum Veterum ſcripta, intelligemus, uſos eos fere fuisſe vocibus מָשָׁל et מָשַׁל, quibus exprimerent eadem, quae Graeci atque Romani vocibus παραβάλλειν atque παραβολὴ ſignificarunt. — Adhibetur autem מָשָׁל cum conjugatis de *oratione figuratâ* ſeu *allegoriâ* Ezech. XVII. 2. et XX. 49. ubi LXX. Interpp. habent: παραβολὴ. Cl. VAN DER PALM vertit: *verbloemde reden;* CASTELLIO priori loco: *aenigma*, posteriori: *oratio figurata:* — de *proverbio* Ps. XLIV. 15. Jer. XXIV. 9. Ezech. XII. 22. 23. quibus locis LXX vertunt: παραβολὴν. VAN DER PALM: *ſpreekwoord;* CASTELLIO priori et ſecundo loco: *dicterium*, duobus autem posterioribus locis: *dictum*. Ps. LXIX. 12. VAN DER PALM vertit: *ſpot* (een *ſprookje*, een *ſchandaal*, cf. Jobi XXII. 6. et ad h. l. SCHULTENS), Ps. XLIX. 5. idem vir Cl. vertit: *verheven lied*. Ps. LXXVIII. 2. *raadſels der oude tijden* i. e. *verhalen van geheimzinnige en wonderbare dingen*. Utroque loco CASTELLIO habet: *ſententias* et *ſen-*

tentiam. Michae II. 4. V. D. P. habet: *lied*, *klaagzang*, *spotlied*, CASTELLIO *sententiam.* Jesaiae XIV. 4. quo loco LXX. verterunt: θρῆνος, V. D. P. vertit: *lied*, *orakelspreuk*; CASTELLIO: *sententiam.* Num. XXIII. 17, 18. V. D. P. vertit: *dichtspreuk.* Cap. XXI. 27. LXX verterunt: משלים per οἱ αἰνιγματίσται. V. D. P. *Dichters*; *nostri*: *die spreekwoorden gebruiken*; CASTELLIO locum vertit: "*unde illa est trita sermone sententia.*" Ezech. XVI. 44. LXX verterunt: ἀπαὶν ἐν παραβολῇ, quod V. D. P. dedit: *spreekwoorden gebruiken.* Hos. XII. 11. LXX habent ὁμοιωθῆναι. V. D. P. *gelijkenissen mededeelen*, d. i. *zinnebeeldige symbolische handelingen*; CASTELLIO: *similitudinibus uti.* Ex his, opinor, satis liquet, quam late pateat, apud Hebraeos, notio τοῦ משל, nec non apud *LXX* interpretes, qui fere hoc vocabulum ejusque conjugata verterunt per παραβάλλειν et παραβολὴ nonnunquam, ut Jobi XVII. 6. per θρύλλημα, alias per ἄρημον καὶ ἀφανισμὸν, ut Ezech. XIV. 8. Aliquando per ἀφανισμὸν καὶ λάλημα, ut 1 Reg. IX. 7. mox per δήγμα, quocum τὸ παραβολὴ permutarunt 2 Chron. VII. 20. Nec non per παροιμίαν atque παιδείαν, ut Proverb. I. 1. XXV. 1. Jobi XXVII. 1. et XXIX. 1. quibus locis AQUILA habet παραβολαὶ, quod cum αἰνίγματι quoque permutatur. Veteres igitur Hebraei et *LXX*, qui dicuntur, interpretes Alexandrini universe voci-

cibus מָשָׁל cum conjugatis ejus, et παραβολή omnia intellexerunt *figurate dicta atque facta;* ſeu *quidquid* ab oratore ſive a poëta *fingebatur* ad *illuſtrandam*, *ornandam* et *distinguendam* orationem: *ſimilitudines*, *collationes*, *imagines*, *aenigmata*, *proverbia*, *metaphoras*, *allegorias* et omnia fere, quae Ciceroni, in Rhetoricis, *orationis lumina* dicuntur, ne exceptis quidem *actionibus ſymbolicis.*

A veteribus Hebraeis nunc nobis transeundum est ad *librorum N. T. ſcriptores.* Eandem autem quam illi, in adhibendâ voce מָשָׁל cum conjugatis, quam Alexandrini interpretes in adhibendâ voce παραβολή et παραβάλλειν ſecuti ſunt rationem, eam quoque a librorum N. T. ſcriptoribus adhibitam videmus. Nimirum ſcriptores isti, natione, Judaei erant; Hebraico ſeu potius Aramaeo dicendi genere asſueti; artibus rhetoricis, ut apud Graecos atque Romanos illae docebantur, haud inſtituti, ut adeo quodvis figurate dicendi genus accurate et ad normam dialecticam definire et ſuis limitibus circumſcribere posſent. Hi igitur viri, Graece ſcribentes, Alexandrinâ fere dialecto uſi ſunt, et cum, in verſione librorum Sacrorum V. T. Alexandrinâ, verbum מָשָׁל cum conjugatis, quatenus *omnem omnino orationem figuratam*

et

et *metaphoricam* significat, exprimi viderent voce παραβολή, in conscribendis, quae dicuntur N. T. libris, hoc quoque vocabulo usi sunt, de *omni oratione figuratâ*, quam Jesus, in sermonibus, sive ad populum, seu ad interioris admissionis discipulos habitis, usurpavit. Sic παραβολή de *exemplo* et quidem breviori illo occurrit pluribus locis Matth. XIII. 31, 32, 33. 44, 45. 47—49. XII. 25b.—49. IX. 16, 17. collatis locis Marci et Lucae parallelis; de *proverbio* seu *dicto obscuro*, *sententiâ obscurâ* venit: Matth. XV. 14. col. Luc. VI. 39. Matth. XV, 15—20. Luc. IV. 23. Maxime autem adhibetur de ejusmodi εἰκοσι seu imaginibus longioribus, quibus supra vidimus Platonem in primis fuisse delectatum, quarum exempla nonnulla occurrunt apud Matthaeum, Euang. cap. XIII. 3—8. coll. locis parall. apud Marcum et Lucam; ejusdem cap. sectt. 22—30. cap. XXI. 28—32. 33—41. coll. locis parall. in Marci et Lucae Euangeliis; cap. XXII. 1—14. Plura autem hujus generis exempla exhibet Lucas. Praeter loca in Matthaei et Marci Euangeliis parallela, ejusmodi εἰκονες occurrunt Euang. cap. X. 30—37. XIII. 6—9. XIV. 7—11. 16—24. XV. 11—32. XVI. 1—10. 19—31. XVIII. 1—8. 9—14. ut adeo Lucas maxime sibi placere videatur in enarrandis istiusmodi Jesu figurate dictis, quae for-

formam magis historicam repraesentent et quasi tabulae sint pictae, vel in minimis partibus consummatae et omnibus numeris absolutae. E quo, si de Lucae ingenio aliquid efficiendum esset, videtur hoc quidem effici debere, (quod abunde quoque satis ex universâ ejus scribendi ratione liquet,) illud ingenium litteris magis excultum et pulcri venustique sensu, prae caeteris Euangelistis, imbutum, atque tinctum fuisse. Ad similitudinem τῆς εἰκόνος Matth. cap. XXV. 14—30. obvia quoque est parabola. — Luc. XII. 18—21. et aliis quoque hujus Euang. locis istiusmodi occurrit parabolae species, quae Graece dicitur: ἡ ἐπαγωγή, Latine: *inductio*, figura Socrati admodum familiaris et in Platonis scriptis ubique fere obvia (*). Tandem occurrit quoque vocabulum παραβολή in Ep. ad Hebraeos cap. XI. 19. eâ significatione, qua Latine verti possit per *fere; ut ita dicam; quasi.* CASTELLIO ibi vertit: *quodammodo.*

Mirum videri possit, Joannem Euangelistam non modo non uti voce παραβολή, ad significandam *orationem figuratam* quamcunque, sed abstinuisse quoque ab enarrandis istiusmodi parabolis, quae *exemplorum* atque τῶν εἰκόνων speciem referunt. Hinc autem temere quis efficiat, eum nullas, qualiscunque

(*) Vidd. quae supra, pag. 23. *de inductione* disserit CICERO.

que tandem formae, referre parabolas, quibus in docendo usus est Jesus. Refertum enim est ejus Euangelium, *metaphoris*, *allegoriis* et *proverbialiter dictis*, in Jesu sermonibus obviis. Conferantur modo Euang. ejus capita VI. XIV. XVI. in cujus postremi fine Jesus inquit: ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν, ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὐκ ἔτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν, ἀλλα παῤῥησίᾳ περὶ τοῦ πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν; ubi παροιμίαις vertendum per: *genus dicendi allegoricum* et *aenigmaticum*. V. D. P. *duistere bewoordingen*, *verbloemde redenen*, *spreuken*. CASTELLIO *oratio figurata*. Opponuntur autem hîc παροιμίαι dicendi generi ἐν παῤῥησίᾳ h. e. *aperto*, *nullis verborum involucris et figuris* adhibitis, cf. sect. 28; 29.— Cap. X. 6. παροιμία dicitur de *exemplo* seu potius de *allegoriâ*. V. D. P. vertit: *leenspreuk*; CASTELLIO: *sententia*. Tandem vox παροιμία obvia etiam est in 2 Petri ep. cap. II. 22. ubi *proverbium* significat, quomodo reddiderunt CASTELLIO et SCHLEUSNERUS, in Lexico.— Utrumque autem vocabulum παραβολὴ et παροιμία de iisdem plane rebus, *de oratione figuratâ qualicunque*, in scriptis N. F. promiscue adhiberi, unicuique, ea attente legenti, satis patebit. vid. SCHLEUSNERUS in Lex. voce παροιμία; KUINOEL, in prolegg. ad Comment. p. 42. Sed mirum, ut diximus videri possit, Joannem, qui multos eosque explicatos magis

Je-

Jesu sermones in Euangelio retulerit, non enarrasse quoque nonnullas ejus generis parabolas, quae, sive exempli, sive τῆς ἐικόνος speciem prae se ferant. Nam etiamsi noluerit eas scripto mandare, quae a caeteris jam Euangelistis, Lucâ in primis, erant occupatae, ea certe parabolarum, quibus in docendo populo usus est Jesus, fuit copia, ut largam satis inde materiem sumere potuerit, nova quaedam, ab aliis Euangelistis nondum memoriae tradita, proferendi. Narrante enim Matthaeo cap. XIII. 3. πολλὰ ἐν παραβολαῖς ἐλάλησε τῷ ὄχλῳ; et sect. 34. narratis jam nonnullis, quibus hac occasione Jesus usus est, parabolis, Matthaeus addit: ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις, καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. Erat igitur, non hac tantum occasione, Jesu ad populum sermo parabolis refertus, sed continuo quoque, et quâvis datâ opportunitate, quando doctrinam de Regno coelesti populo traderet, parabolico dicendi genere usus est. At *aliud consilium* in conscribendo Euangelio suo, *alia indoles* Joanni fuit, quam caeteris Euangelistis. — De *consilio* ipse Joannes disertis nobis verbis tradit Euang. cap. XX. 31. ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. Fuit igitur illud consilium, quo ostenderet, Jesum esse Messiam, Dei filium, quem inter et patrem ejus coelestem arctissimum interce-

de-

debat vinculum; et ut ii quoque, quorum in manus hoc suum Euangelium veniret, fidem in Jesu collocarent, non solum tanquam in doctore praestantissimo, sed tanquam tali, qui super doctores omnino omnes, quotquot unquam, Dei nomine et auctoritate, ad homines locuti sint; quin super angelos etiam, Dei ad homines legatos, longe emineret. Tantum enim se ipse Jesus sapientiâ atque virtute, prae omnibus his, excellere innuebat, quantum ipse filius, quocum omnia communicat pater; quem omnium mysteriorum facit conscium atque participem; cui omnia quoque monstrat, quaecunque fecerit, ita ut, quae pater cunque noverit, cogitet, agat, filio quoque nota sint omnia, praestabat servo seu ministro, utut fidelissimo; quippe qui domini quidem exsequitur mandata, de ejus autem consiliis, de iis, quae animo volvit, de universâ ejus agendi ratione prorsus ignarus est. Itaque Joannes, pro suo consilio, eum fecit rerum a Jesu gestarum et inprimis orationum ejus delectum, quibus origo ejus divina, sublimior ejus cum Deo patre conjunctio et dignitas Messiana demonstrari posset. Has autem orationes cum fere omnes Hierosolymis et in urbis quoque hujus vicinia habuerit Jesus, eo potissimum consilio, ut *vel* procerum doctorumque populi criminationes in templo et synagogis refelleret; falsasque et praecon-

conceptas de regni Messiani verâ indole atque naturâ opiniones, nec non eorum de ipsâ Messiae personâ errores reprimeret, *vel* etiam ut discipulis suis, futuris regni Divini legatis, veram muneris ipsi demandati rationem exponeret; Joannes fere praetermisit, quae caeteri Euangelistae de iis, quae Jesus, in Galilaea potissimum ac in itineribus suis, adstante fere hominum turbâ, egerit dixeritque, memoriae tradiderunt. Quos igitur illi notarunt sermones seu orationes, habiti fere sunt coram populo, modo per parabolas, modo per sententias et apophtegmata, quorum magna pars regni Divini civium vitam et mores spectat, quique orationum potius fragmenta, quam ipsae orationes dicendi sunt. Cum autem Jesus in iis sermonibus, quos Hierosolymis et in hujus urbis viciniâ, in synagogis et templo Judaeorum, cum populi doctoribus atque proceribus contulit, usus videtur oratione magis symbolicâ, a simpliciori et magis parabolico dicendi genere, quod in docendo plerumque populo usurpavit, remotâ; haud mirum, Joannem non retulisse istiusmodi parabolas, quibus fere, in populi institutione, usus est Jesus, quibusque vel morum praecepta inculcaret, vel etiam rationem τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ exponeret; nec eas adeo, quas nonnunquam, in sermone cum populi proceribus, alio tamen consilio,

adhibuit, ut vel pravos eorum mores carperet, poenasque iis divinas, sub involucro, comminaretur, vel sese ab eorum injuriâ atque calumniis defenderet. Ex his igitur satis constare videtur, quâ de causâ Joannes Euangelista non istiusmodi nobis exhibuerit Jesu parabolas, quales caeteri narrarunt Euangelistae. Sed et Joannis *indoles* cum consilio suo, in conscribendo Euangelio, arcte erat nexa. Summâ enim caritate magistrum prosequebatur; ab ejus ore fere pendebat; quasi in sinu eum gestabat; de divinâ magistri origine ejusque cum Deo patre arctissimâ conjunctione, si quis alius inter Apostolos, Joannes maxime sibi persuadebat. Hinc summo eum dignum honore censebat. Ad nullas igitur ejus orationes et sermones magis attendebat; nullas lubentius secum animo repetebat; nullis ita ad magistri venerationem et intimam caritatem incendebatur, quam, quibus Divinam ejus originem et personae ejus summam dignitatem atque auctoritatem confirmari sentiret. Hos igitur retulit sermones, qui stylo sublimiori, ut res ipsa requirebat, erant pronunciati. Sed hâc ipsâ de causâ Joannis indoli quam maxime erant accommodati, quippe quae, ad sentienda quaeque magna atque sublimia, prorsus erat composita. Sic fere Joannis indoles conjunctâ cum speciali ejus consilio, in conscribendo Euangelio, ei causa fuit, cur a

pa-

parabolis, quas caeteri narrarunt Euangelistae, omnino abſtinuerit (*).

Ut autem ad propoſitum de verâ παραβολῆς notione, in N. F. ſcriptis obviâ, quantum fieri posſit ſtatuendi, revertamus; ex his, quae hucusque hac de re disſeruimus patet, vocabulo παραβολῆς neque a Graecis atque Romanis, neque a veteribus etiam Hebraeis, aut N. T. ſcriptoribus definitam et ſuis circumſcriptam limitibus ſignificationem esſe tributam; ſed omnes hac voce, nec non ſynonymo ejus παροιμία, uſos fuisſe CUM, *generaliori* notione, quâ *collationem*, *ſimilitudinem quamcunque*, quin *orationem cujuscunque generis figuratam* ſignificarent; TUM, apud Hebraeos et in primis etiam apud N. T. ſcriptores, *ſpeciali* notione, hoc vocabulum fuisſe uſurpatum, de *exemplis* et ejusmodi *ſimilitudinibus*, aut potius *imaginibus*, quae Graece dicebantur εἰκόνες. Nos igitur, qui inprimis de eo parabolarum genere inquirimus, quo potisſimum uſus est Servator noster, cum in docendo, ſi-

(*) Vid. autem de conſilio, quod in conſcribendo Euangelio habuit JOANNES. KUINOEL, *in prolegg. ad Commentar.* § 5. p. 42. ſeqq. H. K. A. HAENLEIN, *Einl. in die Schriften des N. T. dritter Th.* pag. 108. § 4. et J. L. HUG, *Einl. in die Schriften des N. T. zweiter Th.* § 48. fin. A. H. NIEMEIJER, *Karakteristiek der Bibel*, *iſter Th. 5te Auflage*, pag. 484. ſeqq.

Graecis in usu fuit atque Romanis (*), cum *illa* Orientalibus magis sit propria, atque rarissime apud caeterarum gentium auctores occurrat (†).

E definitione autem, quam de speciali parabolarum formâ, in N. F. scriptis obviâ, supra dedimus, sponte sequitur, parabolas multum differre a *fabulis*, stricte sic dictis; nam *fabulam* universe quoque dici de *narratione historicâ*, rerum peritis satis notum est. Fabula autem quamquam ad fictarum narrationum genus sit referenda, hôc tamen nomine a parabolâ distingui debet, quod personae in illâ agentes sint res ratione carentes, v. c. *animalia bruta*, *arbores*, *plantae*, caetera, quibus facultates humanae, et hominum agendi ratio tribuuntur. Hanc quoque notionem cum veteres, tum quoque recentiores fabulae tribuisse constat. CICERO de *Invent.* lib. I. cap. 45. "*Fabula est*" inquit, "*in quâ* nec verae nec verisimiles *res con-* „ *tinentur*." AMMONIUS quoque sic fabulam definit: λογος, μυθικὸς ἐκφερόμενος ἀπὸ ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν πρὸς ἀνθρώπων παραίνεσιν. — ERASMUS quoque a SALMERONE reprehenditur, quod, pro voce παραβολὴ substituat illam *fabulae;* quod male quoque, nimio Latinitatis studio, sit pace illustrissimi viri, dictum,

(*) Vid. E. G. WINKLER, *lib. laud.* § 35. p. 198.

(†) ARISTOTELES, *lib. et loc. laud.*

tum, fecit summus GROTIUS (*). Fabularum autem multa exempla finxit ingenium ferax AESOPI et imitatoris ejus, PHAEDRI, et passim quoque, apud auctores Graecos atque Romanos, hujusmodi fabulae occurrunt. Quid, quod fabularum exempla reperiantur quoque in Sacris V. F. libris v. c. Jud. IX. 7. 2 Sam. XII. 2. Paralipp. XV. 18. 2 Regg. XIV. 8. seqq.

Nimis subtiliter instituta videtur ven. STORRII (†) distinctio inter *parabolam* et *fabulam*, secuti in eo LESSINGIUM, loco ab auctore laud. — Etenim haud in eo quidem "*quod imago quaedam rei* „ *alterius proponatur* aut *tanquam* res possibi„ lis, aut *tanquam* certo tempore gesta" h. e. in enunciandi formâ, κριτήριον distinctivum quaerendum esse censemus, quo parabola a fabulâ discerni possit; sed potius in ipsâ *imaginis ratione*: et universe ad parabolas referendas esse quascunque ima-

(*) Consulantur K. W. RAMLER, *Einl. in die schönen Wissenschaften*, 1ster Band, 2ter Th. p. 292. S. F. EBERHARD, *Theorie der schönen Wissenschaften*, p. 214. alii. Et, ut, unum hoc addam, Cl. KRUMMACHER suis parabolarum venustissimarum exemplis, itemque fabulis, quae, ipso auctore, prodierunt titulo: *Apologen und Paramuthien* docuit, quid de *parabolâ*, quid item de *fabulâ* sit statuendum.

(†) OPUSCC. Vol. I. Dissert. 2. § 2.

imagines atque exempla judicamus, (ſive res per eas proponatur tanquam *posſibilis*, ſive tanquam *certo tempore gesta*,) quae, ad illuſtrandam vel rem vel doctrinam qualemcunque, e rerum naturâ et uſu hominum communi mutuo ſumuntur; vel potius, quae rerum naturae, ut ſenſibus ſeſe offert, ita conveniunt, ut nil iis inſit, quod, per ipſam rerum naturam, fieri haud posſit; contra *fabulis* annumerandas esſe omnes ejusmodi imagines, quae quâ tandem formâ, ſive tanquam *posſibiles*, res, quibus continentur, ſive tanquam *certo tempore gestae*, proponantur, exhibent quaedam, quae rei naturae, et hominum communi uſui repugnant, ac per ipſam naturae rationem fieri haud posſunt, quaeque animo tantum ita concipiuntur et ingenioſe finguntur, uti est fabula: *de arboribus, quae convenerunt, ut regem ſibi ungerent.* Ex dictis ſequitur quoque, PAULUM Apostolum 1 Cor. XII. 12—27. ſtrictiori ſenſu non uti parabolico dicendi genere, (quae est ſententia STORRII) ſed compoſitô potius ad fabularum fictionem. Nec obest quoque *forma diverſa*, qua eadem imago ſeu exemplum proponitur, cum Luc. XIII. 19. tum Marc. IV. 30. quominus, utroque loco, altero *ſpeciali* τῆ εἰκόνος, altero *generali*, *exempli* ſc., notione, παραβολῆς nomine eam inſigniendam putemus; cum tamen STORRIUS, priori loco *fabulae*, posteriori autem *parabolae* formam obviam

viam esse statuat. Nec etiam probabile videtur, quod scripsit vir Venerab. in nota 7. "*Sic pro* „ *parabolâ* Luc. XI. 5. seqq. *quae rem spectat*, „ *ut* possibilem *aut* futuram *forte ipse Christus* „ cap. XVIII. 2. seqq. *substituit* λόγῳ, *qui rem* „ *ut factam tradit;*" cum ipse LUCAS Euangelista, sect. 1. diserte narrat: ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν (non vero λόγῳ) αὐτοῖς. Utraque autem haec collatio eo nomine altera ab alterâ differt, quod prior παραδείγματος h. e. παραβολῆς formâ *generali* proponatur; posterior vero, formâ *strictiori*. Huic nostrae sententiae, praeter alios, quos jam citavimus assentientem habemus ARISTOTELEM, loco a nobis supra descripto, a STORRIO vero, in suam sententiam, laudato, qui modo attente legendus est, ut statim perspiciatur, ARISTOTELEM, ut jam ante monuimus, τῇ παραβολῇ tribuisse generaliorem illam notionem, quâ significat: *quodvis exemplum historicum, collationem quamcunque*, quâ tandem illa formâ proponatur: eam autem a λόγῳ seu fabulâ, proprie sic dictâ, hoc nomine differre, quod *illi* subsit *res vere gesta*, aut saltem *quae per se fieri possit; haec* autem non tantum *ficta* sit, sed ita quoque ficta, ut rebus ratione carentibus, tribuantur, quae homini, ratione praedito, unice sint propria.

Addere adhuc lubet, quae hanc in rem disserit

A. MACROBIUS, in *comment. in somn.* SCIPIONIS, lib. I. cap. II. Hic *de* USU FABULARUM IN PHILOSOPHIA sic disserit: "*Nec omnibus fabulis philoso-*
„ *phia repugnat nec omnibus acquiescit, et ut*
„ *facile secerni possit, quae ex his ab se abdicet,*
„ *ac velut profana ab ipso vestibulo sacrae disputationis excludat, quaeve etiam saepe ac libentes admittat, divisionum gradibus explicandum*
„ *est.* Fabulae *quarum nomen indicat falsi* professionem, *aut tantum conciliandae auribus*
„ *voluptatis, aut adhortationis quoque in bonam*
„ *frugem gratiâ repertae sunt, auditum mulcent. Hoc totum fabularum genus, quod solas*
„ *aurium delicias profitetur e sacrario suo in* nutricum cunas *sapientiae tractatus eliminat.*
„ *Ex his autem, quae ad quandam virtutis speciem*
„ *intellectum legentis hortantur, fit secunda discretio. In quibusdam enim et argumentum ex*
„ ficto *locatur et* per mendacia *ipse relationis ordo*
„ *contexitur, ut sunt illae Aesopi fabulae elegantiâ fictionis illustres. At in aliis argumentum*
„ *quidem fundatur* veri soliditate; *sed haec ipsa*
„ *veritas per quaedam* composita et ficta *profertur. Et hoc jam vocatur* fabulosa narratio,
„ *non fabula, ut sunt cerimoniarum sacra, ut*
„ *Hesiodi et Orphei, quae de deorum progenie*
„ *actuve narrantur, ut mystica Pythagoreorum*

„ *sen-*

„ *sensa referuntur. Ex hac ergo secundâ divisi-*
„ *one, quam diximus, a philosophiae libris prior*
„ *species, quae concepta de falso per falsum nar-*
„ *ratur, aliena est. Sequens* (species) *in aliam*
„ *rursus discretionem scissa dividitur. Nam*
„ *cum veritas argumento subest, solaque fit* nar-
„ ratio fabulosa, *non unus reperitur modus, per*
„ *figmenta vera referendi. Aut enim contextio*
„ *narrationis per turpia et indigna numinibus*
„ *ac monstra similia componitur, ut Dî adulteri,*
„ *Saturnus pudenda Coeli patris abscindens et*
„ *ipse rursus a filio, regno potito, in vincula*
„ *conjectus; quod genus totum philosophi nescire*
„ *maluerunt; aut sacrarum rerum notio, sub*
„ *figmentorum, honestis et tecta rebus et vestita*
„ *nominibus enunciatur. Et hoc est solum fig-*
„ *menti genus, quod cautio de divinis rebus ad-*
„ *mittit. Sciendum est tamen non in omnem dis-*
„ *putationem philosophos admittere fabulosa, sed*
„ *his uti solent, cum vel de animâ vel de aëriis*
„ *aetheriisve potestatibus vel de caeteris dîs loqu-*
„ *untur. Caeterum cum ad summum et omnium*
„ *principem Deum, qui apud Graecos* τὸν ἀγαθὸν
„ *qui* πρῶτον ὄντως *nuncupatur tractatus* (*sc. sa-*
„ *pientiae*) *se audet attollere, vel ad mentem,*
„ *quam Graeci* νοῦν *appellant, originales rerum*
„ *species, quae* ἰδέαι *dictae sunt, continentem, ex*

„ *sum-*

„ *summo natam et profectam Deo, cum de his,*
„ *inquam, loquuntur, nihil fabulosum penitus at-*
„ *tingunt. Sed, si quid de his assignare conan-*
„ *tur, quae non sermonem tantummodo, sed co-*
„ *gitationem quoque humanam superant, ad si-*
„ militudines *et* exempla *confugiunt. Sic Plato,*
„ *cum de* τῷ ἀγαθῷ *(summo omnium Deo) loqui-*
„ *esset animatus, dicere, quid sit, non ausus est,*
„ *hoc solum de eo sciens, quod sciri, quale sit,*
„ *ab homine non possit. Solum vero ei simillimum*
„ *de visibilibus solem repperit, et per ejus simili-*
„ *tudinem, viam sermoni suo, adtollens se, ad*
„ *non comprehendenda patefecit. Ideo et nullum*
„ *ejus simulacrum, quod cum Dis aliis constitu-*
„ *eretur, finxit antiquitas, quia summus Deus,*
„ *nataque ex eo mens, sicut ultra animam sic su-*
„ *pra naturam sunt, quo nihil fas est de fabulis*
„ *pervenire. De dis autem, ut dixi, caeteris et*
„ *de animâ, non frustra se nec ut oblectent ad*
„ *fabulosa convertunt, sed quia sciunt inimicam*
„ *esse naturae apertam, nudamque expositionem*
„ *sui; quae sicut vulgaribus hominum sensibus*
„ *intellectum sui vario rerum tegmine et operi-*
„ *mento subtraxit, ita a prudentibus arcana sua*
„ *voluit per fabulosa tractari. Sic ipsa mysteria*
„ *figurarum cuniculis operiuntur, ne vel haec*
„ *adeptis nuda rerum talium se natura praebeat;*

„ *sed*

„ *sed summatibus tantum viris, sapientiâ interpretes, veri arcani consciis, contenti sint reliqui ad venerationem, figuris defendentibus a vilitate secretum.*" Haec ille. Ex his autem a MACROBIO disputatis liquido apparet, eandem eum inter *fabulam* et *parabolam*, seu, quod ille vocat, *similitudinem* et *exemplum*, quam nos, Veterum et recentiorum vestigiis, facere distinctionem: ut prior scil. dicatur de narratione fictâ, quae per se fieri haud possit; posterior de narratione fictâ quidem, sed ita fictâ, ut res narrata fieri per se potuerit. Et haec quidem de usu atque notione vocis parabolae, in primis in N. F. scriptis, sufficient (*).

---

§ 2.

Parabolarum origo antiquissima.

Parabolarum origo e remotissimâ jam antiquitate repetenda videtur et in eâ quidem apud Orientales

(*) Vidd. adhuc pro nostrâ sententiâ K. W. RAMLER, *Einl. in die schh. Wissenschh.* 1ster Band 2ter Th. p. 280. seqq. MARCKII, *Sylloge dissertt. Philoll. Theoll.* Exerc. IV. p. 115 et 115. HERDER, *vom Geist der Ebräischen Poësie*, I. p. 13. A. GRAY, *Vorless. über die Gleichnissreden unsers*

les quaerenda (*). Hi enim in regionibus amoenissimis degentes, ac fere in specubus, sub tentoriis et arborum opaco tegmine, huc illuc dispersi, habitantes, nondum urbium veluti claustris in densum coacti, continuo ante oculos habebant naturae spectacula pulcerrima ac vere sublimia. Hinc enim e montium celso cacumine prospectus iis longe lateque patebat in convalles, rerum objectarum varietate ac multitudine, animum rudem adhuc in admirationem rapientes, et naturali gaudio perfundentes. Hinc mare aestuosum, fluctusque coelum versus emoti, ac undae scopulos verberantes, spumantique impetu in littus ruentes; tempestates, nubibus coelum obducentes, nubium per aethera volatus, tonitrua et fulminum ictus horrore ac stupore mortales percellebant. Inde rursus mare placidum ac solis lunaeque fulgens-

sers Hernn. p. 14. D. A. REGULETH, *lib. laud.* § 1. p. 3. fin. et omnino. VORSTIUS, *de Hebraismis N. T.* cap. IV. p. 143. med. et seqq.

(*) Vid. VORSTIUS, *lib. laud.*, edit. FISCHERI, p. 141—143. et MARCKII, *Sylloge dissertt.* Exerc. IV. p. 116, 117. E. G. WINKLER, *lib. laud.* p. 196, 197. D. A. REGULETH, *Diss. Philol. Theol. de Parabb. Euangg.* § 3. p. 6. VITRINGA, *de Synagogâ vetere*, lib. III. part. I. cap. V. p. 678. et. *Observatt.* lib. III. cap. XIX. p. 718.

gens quasi ex eo ortus et sub eo demersus; stellarum micantium tenue lumen, siderum motus, volucrium varius ac multiplex cantus, quadrupedium vox diversa, piscium saltus, greges in montis jugo pendentes; animalium, arborum, plantarum multiplex forma, foliorumque figura, color ac magnitudo diversa; florum venustas, fructuum fragrans odor ac sapor gratus hos, naturae veluti filios alliciebant ac delectabantur. Hac conditione viventes, quid mirum, eos, quippe artibus nondum ac disciplinis excultos, continuo rerum objectarum contemplatione fuisse occupatos? Has unice spectabant, harum collatione delectabantur, his docebantur. Hinc quoque sermonem, quo utebantur, tenuem ac quasi egenum multarum vocum incremento augebant, in primis etiam *transferendo* voces, quibus res sensibus objectas indicare solebant, ad hujusmodi res rerumque rationes, quae sensibus quidem haud erant expositae, in quibus tamen quaedam cum illis similitudo sibi invenisse videbantur (*). Hinc per se colligitur, eorum sermonem *poëticam* quandam habuisse rationem ac sensim sensimque *metaphoricam* et *allegori-*

(*) Vid. in primis quoque, quod ad Hebraeorum tropos attinet, J. H. PAREAU, *Viri Cl. Inst. interpr. V. T.* p. II. S. II. § 5. obs. 3 et 4.

ricam accepisse formam. Quod quidem antiquissimis Orientalium monumentis abunde satis confirmari potest. Postquam vero, summo Dei numine ita moderante, sive fortuito casu, sive ingenio ipsi suo, homines artes quasdam invenerunt, quibus vitae necessitatibus facilius prospicere non solum; sed et quae variis eorum commodis ac jucunditatibus inservire possent, quibusque vita magis redderetur placida, otium inde majus ingenio humano contigit. Itaque ii inter homines, qui, prae caeteris, animi vi ac praestantiâ valebant, animum a rebus sensibus objectis paulisper avertebant, ad cogitandum attollebant, et in hominum actiones intendebant, fractis quibus hucusque continebantur sensuum quasi repagulis. Jam continuo has hominum actiones cum rebus in rerum naturâ obviis conferebant et eo facilius, ac sponte veluti suâ, ad id animum inducebant, quo magis rerum naturalium contemplatione erant assueti, eorumque sermo inde erat haustus. Scilicet videbant in his certum quendam ordinem, ad quem omnia erant disposita, leges certas, quibus omnia obtemperabant; animadvertebant haec in solis caeterorumque siderum motu, certis temporibus adstricto; in anni tempestatibus, statuto tempore recurrentibus; in fluxu ac refluxu maris; in fluminum, singulis annis et tempore fere eodem, super

ri-

ripas egressu; in arborum, plantarum, animalium incremento et decremento; in diverso animalium impetu, diversisque singulorum propensionibus, ac naturae uniuscujusque conatibus et innumeris aliis in rebus. In hominum autem actionibus ordinem illum, leges istas multum desiderari, observabant et magis adhuc in oculos id incurrebat, quo certius mentem ipsi suam, naturali quodam impetu, pelli sentiebant ad agnoscendas certas, easque immutabiles leges, ad quas conformare actiones suas, eos oportebat. Quid igitur?— laudabili conatu et quasi divinitus impulsi suae naturae socios a suo quemque errore et ad certum, in actionibus observandum, ordinem ac naturae legem revocare student. Quâ autem ratione hoc opus aggrediuntur? an sermocinando, ratiocinando et philosophantium more demonstrando? At nunquam philosophorum scholas frequentarunt; diversa singulorum placita ignorant; sed unâ naturâ, fideli ac optimâ duce ac magistrâ usi sunt; ejus ex disciplinâ unice profecerunt; leges ejus sibi observandas esse statuerunt, et quo sermone eos uti oporteat, ut propositum assequantur finem, ab hac didicerunt. Itaque suâ simplicitate ducti admonitiones et adhortationes suas, a rebus, quae sensibus subjiciuntur, derivant. Quo autem hoc instituunt modo? An comparando rerum, sensibus objectarum, natu-

ram ac indolem cum hominum indole ac naturâ et ex utriusque ſimilitudine agendi vivendique regulas derivando? Minime! hoc enim ingenii est jam magis exculti, quod, in naturae rerum indagatione, jam multum profecit; mentem id quoque requirit, cogitando, reflectendo, res in vicem comparando, jam diu ſubactam ingeniique acumen, quod ſtatim ac ſine multo labore, quid in quaque re ſimile ſit, ſentiat arripiatque. Quid igitur? Fingunt ſibi univerſam naturam voce ac facultatibus humanis praeditam. Jam invenerunt fontem perennem (*) unde hauriant. Mox igitur ſibi fingunt arbores arboribus, animalia animalibus loquentia ac ſermones in vicem conferentia; mox ea omnia inducunt, hominum ad inſtar, agentia, conſilia agitantia, bella gerentia, caetera. Haec aliis ante oculos ponunt, et hi, quippe ipſi naturae alumni, quae ſuorum ſagaciores ab eâ mutuarunt, ſtatim intelligunt, eorumque adhortationes, quamvis imaginibus opertas atque involutas, animo percipiunt. Hinc multarum metaphorarum, allegoriarum et in primis quoque *fabularum* origo. At mens humana, non tam arctis circumſcripta limitibus et incrementi ſemper capax, longius proceſſit. Haud enim contenta exter-

(*) Vid. HERDER, *über den Geist der Ebräiſchen Poeſie*, I. p. 14. fin.

ternâ rerum ſpecie, in earum naturam indolemque indagare ſustinuit, et in ipſius quoque mentis humanae intimos receſſus penetrare auſa est. Jam exculta magis et rerum experientiâ aucta in conſilium etiam vocat hominum, qui in ſocietates jam colerunt, opificia, artes, conſilia, actiones, molitiones, verſutias, errores, ſcelera, caetera. Haec omnia, quaſi auctaria cognitionis, quam ſibi de rerum naturâ comparavit, veluti in penu habet; hinc, quo quisque eorum erat ſagacior, eo lubentius et ſponte veluti ſuâ, abjectis fabularum veluti ſustinaculis, puerili ac rudi ingenio aptis, ut vitia atque errores hominum carperet, ad propoſitionem acceſſit *exemplorum* ac *parabolarum*, h. e. fictarum narrationum, e rerum naturâ et communi hominum uſu haustarum, in quibus, quaſi in ſpeculo, ipſi, quid ſibi eligendum, quid faciendum ſit, viderent. Hanc nobis parabolarum originem animo efformavimus, ductam illam ex historiâ humani generis primitivâ, cujus antiquisſima hujus generis monumenta allegoriarum fere et fabularum, non vero parabolarum, formam nobis exhibent. Quo magis enim ad remotisſimam antiquitatem mente recedamus, eo majorem fabularum inveniemus copiam, quibus, qui, inter ſuae aetatis homines, doctrinâ atque philoſophiae ſtudio eminerent, rudiores inſtituere, atque ad vitae et morum disciplinam erudire

conati ſunt. Seriori autem aevo apud philoſophos, qui populi fere erant doctores, exemplorum et parabolarum uſus invaluit, verae philoſophiae atque rationi magis conſentaneus. — Colligi hinc quoque, aliquâ ratione, potest, cur Servator noster doctrinam ſuam, de *regno Coelesti*, non quidem fabularum involucris, ſed parabolarum potius velamentis, tradiderit. Sic enim decebat eum, qui ſe ipſe dixit divinitus misſum, ut hominum mentes, tenebris obductas, veritatis luce collustraret, quique, testante ſancto apostolo, a Deo nobis est datus, ut verâ nos ſapientiâ imbueret (*).

---

§ 3.

Parabolarum antiquus uſus.

Ex his, quae ſuperiori §, de parabolarum origine diximus, ſponte jam patet, earum uſum fuisſe perantiquum (†); quod inde quoque manifestum est, quod

(*) Legi hac de re meretur R. G. WINKLER, *lib. laud.* p. 195. in nota, et J. J. HESZ, *Leer, Daden en Lotgevallen van onzen H. J. C.* Afd. VI. p. 220.

(†) Vidd. quae hac de re disputat FRANCIS BRAGGE, in libro, Angl. ſcripto: *Practical discourſes upon the parables of our bleſſed Saviour*, caet. praef. pag. 9. med. D. A. REGULETH, *lib. laud.* § 3. p. 6.

quod in ſcriptis Orientalium monumentis vetustisſimis reperiuntur. — Exemplum exſtat: 2 Sam. XII. 1. (nam quod GLASSIUS (*) et ANDR. GRAY (†) citant, e Judd. IX. 8. *fabula* est, non vero parabola), et inprimis apud prophetas, quorum ſtylus alte ſurgit ac imaginibus fere ſcatet poëticis, obviam ſeſe nobis praebent: e. c. Ps. LXXX. 9. ſeqq. Jeſaiae V. 1. ſeqq. (§) XXVIII. 22. ſeqq. Ezech. XV. XVII. 2. ſeqq. XXIII. XXXI. et XXXIII. 2. ſeqq. Dan. XV. 10. ſeqq. Eccl. IX. 14—16. Apud Hebraeorum prophetas autem hae ſive imagines ſive parabolae, ad Orientalis ingenii luxuriantis rationem, ſunt accommodatae, ac audaciores fere, quam quod placere ante nobis posſint, quam, uſu ac ſingulari ſtudio, literarum Orientalium rationem perceperimus, atque ad antiquisſimorum hominum ſimplicitatem referre ea didicerimus, quae, ſi cum Graecorum ac Romanorum imaginibus, ne dicam cum iis, quibus Servator noster, in inſtitutione ſuâ, uſus fuit, conferantur, minus eleganter pingi videntur, ac, primo nos intuitu, offendere posſent

(*) *Phil. Sacr.* Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V.

(†) *Vorleſungen über die Gleichnisſreden*, p. 12.

(§) Vid. hujus parab. explicat. in *Comment. ad Jeſaiam*, Belgice conſcriptam, a Cl. VAN DER PALM.

ſent (*). Accedunt ſcilicet plurimae V. T. ſimilitudines ad *allegoriarum* magis formam, quam ad eam parabolarum ſpeciem, quam ſupra definivimus, vel potius mixtam ex allegoriâ et parabolâ earum nonnullae efficiunt formam.

Earum autem ratio ut melius cognoscatur, exempla quaedam hîc transſcribamus, CASTELLIONIS verſione adhibitâ. *Primum* exemplum ſit, quod legitur Eccl. IX. 15. ſeqq. "*Est parvum oppidum et in* „ *eo homines pauci, quod aggreditur rex ma-* „ *gnus, obſidetque, exſtructis adverſus id ingen-* „ *tibus machinis. In eo reperitur vir ignobilis,* „ *ita ſapiens, ut oppidum ſuâ ſapientiâ liberet,* „ *quum ejus ignobilis nemo memor esſet. Itaque* „ *ego dico, ſapientiam viribus esſe praeſtantiorem,* „ *tametſi hominis ignobilis ſapientia ſit contemta,* „ *nec ejus verbis obtemperetur.*"

Alterum exemplum occurrit Pſ. LXXX. 9. ſeqq. "*Vineam ex Aegyjpto transtulisti, quam, exactis* „ *gentibus, plantasti, eique ita purgavisti ſolum,* „ *ut, exactis radicibus, repleverit terram, et um-* „ *brâ montes operuerit, ramis divinas aequanti-* „ *bus cedros, ſuosque palmites ad mare, ſua ſar-* „ *men-*

(*) Vid. MUNTINGHE, *Geſchied. der Menschh. naar den Bijbel*, I. D. p. 42. J. H. PARRAU, *lib. laud.* P. II. S. II. § 5. obſ. 3. fin. et 5. med.

„ *menta ad flumen usque distenderit. Cur ejus*
„ *diruisti sepem, ut ab omnibus carpatur viato-*
„ *ribus? ut ab apris sylvestribus devastetur, ut*
„ *depascatur a feris? Deus armipotens reconci-*
„ *liare quaeso, adspice de coelis et hanc vineam*
„ *respice atque cura vitiarium, tua quod dextra*
„ *consevit, scilicet* natos quos tu tibi confirmas-
„ ti." (sunt haec quasi ἐπιμύθιον huic parabolae subjectum). „*Conflagrat igni succisa, ad tui vul-*
„ *tus truculentiam pereunt.*" —

Tertium nobis exemplum Jesaias exhibebit cap. XXVIII. 22. seqq. „ *Auscultate et meam vocem*
„ *audite; attendite et mea audite dicta. Num*
„ *semper arat arator ad seminandum, humum suam*
„ *proscindens atque pastinans? Nonne postquam*
„ *ejus solum exaequavit, gith spargit, cuminum*
„ *serit eximiumque triticum et egregium horde-*
„ *um atque zeam, suis finibus deponit, suo eum*
„ *Deo ad rationem instruente ac docente? Neque*
„ *enim tribulâ trituratur gith aut plostelli rota*
„ *super cumino volvitur, sed perticâ gith et bacu-*
„ *lo cuminum verberatur. Panificia quidem terun-*
„ *tur, non enim perpetuo triturat ea, aut plostelli*
„ *stridente orbe equisque terit. Hoc quoque ab*
„ *armipotente Jova proficiscitur, qui et consilio*
„ *mirus, et ratione magnus est.*" Et ne plura commemoremus exempla, ex Ezechielis libro cap.

XVII. venustissimum et omnino elaboratissimum specimen adhuc citabimus: "*Ad haec mecum Jova* „ *locutus est, his verbis: homo propone aenigma* „ *et ede sententiam Israëlitarum generi atque* „ *ita dicito: aquila ingens, ingens alis, longa* „ *corpore, plena plumis atque picturata, venit* „ *in Libanum, sumsitque cedri surculum et de-* „ *cerptum ejus ramorum caput, sublatumque in* „ *mercatoriam terram, collocavit in urbe negoti-* „ *atorum. Praeterea sumsit ex ejus terrae semi-* „ *nario, quod in solo sativo (quod largo humore* „ *irriguum desumserat) posuit et composite collo-* „ *cavit, id quod exortum evasit in luxuriantem* „ *vitem, staturâ humilem, in suo conspectu suos* „ *habentem palmites, suasque radices subter se.* „ *Id igitur in vitem evasit, actisque duramini-* „ *bus, emisit sarmenta. Erat autem aquila quae-* „ *dam ingens, ingens alis, abundansque plumis,* „ *ad quam ecce vitis illa suas flexit radices eique* „ *suos palmites porrexit, ut ab eâ, per sui satus,* „ *ordines irrigaretur, cum esset ipsa in bono solo* „ *et in multo humore sata, ut et pampinos ederet,* „ *et fructum ferret essetque vitis nobilis. Ergone* „ *ei bene eveniet* (inquies) *inquit Dominus Jova?* „ *Nonne aquila ejus et radices exstirpabit et* „ *fructum decerpet, ut, arefactis omnibus ejus* „ *vitium ramis, exarescat? Nec magnâ sane*

„ *ma-*

„ *manu multisque copiis utetur in eâ tollendâ*
„ *radicitus. An videlicet fata feliciter aget?*
„ *Nonne adflata Euro arescet et arescet in sua-*
„ *rum vitium ordinibus? Tum adloquens me*
„ *Jova: dic age nationi contumaci, inquit, an*
„ *ignoratis, quid haec sint? Venit, inquies,*
„ *Babyloniae rex Hierosolymam, captumque ejus*
„ *regem et proceres Babylonem ad se deportavit.*
„ *Praeterea sumsit de regio semine, cum quo,*
„ *ad sacramentum adacto, pactionem fecit regi-*
„ *onisque potentissimos abstulit; ut esset humile*
„ *regnum, ne sese efferret, sed ejus pactione ser-*
„ *vandâ staret. At ille in eum rebellavit, mis-*
„ *sis in Aegyptum legatis, per quos copiosum equi-*
„ *tatum postularet et exercitum. Ergone ei bene*
„ *eveniet, ergone evadet, qui haec fecerit, pac-*
„ *tumque violarit? Evadet vero? Ne vivam,*
„ *inquit Dominus Jova, ni in patriâ regis ejus-*
„ *dem, a quo factus rex, cujus sacramentum con-*
„ *tempsit, pactumque violavit, ni apud eum in*
„ *mediâ Babylone morietur, nec ei magno cum*
„ *exercitu multisque copiis in bello subveniet Pha-*
„ *rao, cum exprimetur agger exstrueturque pro-*
„ *pugnaculum ad multorum mortalium excidium,*
„ *et quia violando pacto sacramentum contemp-*
„ *sit, quumque manum dedisset, tamen haec om-*
„ *nia fecit, non evadet. — Quocircā, sic dicit*

 „ *Do-*

„ *Dominus Jova, ne vivam, ni meum sacramen-*
„ *tum est, quod contempsit, meumque pactum*
„ *quod violavit, idque in ejus caput ulciscar; ten-*
„ *damque in eum rete meum et meo casse captum*
„ *Babylonem deportabo, ubi de eo supplicium su-*
„ *mam criminis, quod contra me commisit. Om-*
„ *nes autem ejus profugi cum toto ejus comitatu*
„ *ferro cadent, reliqui in omnes regiones disci-*
„ *pabuntur, scietisque, me Jovam locutum fuisse.*
„ *Sumam autem, inquit Jova, de procerae cedri*
„ *comâ, decerptumque ex ejus surculorum cacumi-*
„ *ne flagellum deponam plantaboque in edito at-*
„ *que eminente monte, idque, per me in altissimo*
„ *Israëlitarum monte depactum, ramos edet, fruc-*
„ *tumque pariet, fietque cedrus nobilis, sub quâ*
„ *et in cujus ramorum umbrâ omnes aves, om-*
„ *nes habitabunt alites, scientque omnes terres-*
„ *tres arbores, me Jovam et altas arbores depri-*
„ *mere et humiles extollere et arefacere viren-*
„ *tes et aridas virefacere: Ego Jova et dico et*
„ *faciam.*" Haec quidem sufficient ad parabolarum V. T. rationem cognoscendam. Parabolicam autem instituendi rationem, seriori quoque aevo, apud Judaeorum magistros, et circa id quoque tempus, quo Jesus in hoc terrarum orbe versatus est, in usu fuisse, exemplis, e Talmudicis et Rabbinicis scriptis conquisitis, satis ostenderunt vor-

STI-

GTIUS (*) et LIGHTFOOTUS (†). In his autem, quae in Judaeorum, ſeriorìs aevi ſcriptis reperiuntur, parabolis, ejusmodi quoque obviam ſeſe nobis praebent narrationis, quae parabolis Sacris et iis quidem, quibus fere uſus est Servator, per quam ſimiles ſunt. In Gemarâ BABYLONICÂ codicis BERACHOT exſtat parabola: de *divite epulone ac paupere*. In ejusdem quoque codicis Gemarâ HIEROSOLYMITANA reperimus parabolam: de *operariis, a patre familias, in vineam vocatis*. Rurſus in Gemarâ codicis SCHABBATH exſtat parabola ſimilis ei, quae de *quinque prudentibus et quinque fatuis virginibus* in Euangelio Matthaei narratur. — JULIUS CONRADUS OTTO, ex Judaeo factus Christianus, in libro, quem *Gali Razia* inſcripſit et ſub initium ſaeculi XVIII. Noribergae exprimendum dedit, hanc parabolam, itemque ejus narrandae occaſionem ſic, Latino ſermone, expoſuit. „ *Dixit R. Eleaſar: Age poenitentiam pridie tui obitus. Quaerebant discipuli ejus, „ num homo mortis horam nosſet? Ille vicisſim re- „ ſpondens inquit: omnibus diebus homo poenitenti- „ am agat, quia ignorat, quo die ex hac vitâ mi- „ graturus ſit. Ad haec R. Jochanan, filius Saccai,* „ *hanc*

(*) *Philol. Sacr.* cap. IV. p. 141. ſeq. et 159. ſeq. *edit.* FISCHERI.

(†) In *Horii Hebrr. atque Talmudicis.*

„ *hanc proposuit* (משל) *parabolam* " " *vir quidam*
„ „ *dives apparabat nuptias, ad quas ministros*
„ „ *suos convocabat, verum nullum certum defi-*
„ „ *niebat nuptiarum tempus. Horum quidam*
„ „ *erant prudentes, quidam erant fatui. Pru-*
„ „ *dentes ex illis splendide sese vestiebant ac se-*
„ „ *dentes ante domum regis apud se cogitabant:*
„ „ *omnia hic parata sunt, nec quidquam deest,*
„ „ *quare, cum de horâ, quâ vocabimur, incerti*
„ „ *simus, exspectabimus, ut quâcunque horâ*
„ „ *nos avocaverit, ornatu nostro induti ipsi mi-*
„ „ *nistremus. Fatui vero seu somnolenti, hinc*
„ „ *inde discursitantes, cogitabant apud se: cum*
„ „ *satis adhuc temporis restet, usque prandium*
„ „ *apparatum fuerit, interim nos commode or-*
„ „ *nabimus, quo et ipsi ministremus. Sed ecce*
„ „ *cum repente et insperato rex ministros ad*
„ „ *coenam vocaret, prudentes coram rege appa-*
„ „ *rebant ornatu suo induti; fatui vero, nondum*
„ „ *compti et parati abitum moliebantur, quo*
„ „ *ornatos se coenae sisterent. Rex gavisus*
„ „ *propter eos, qui ornatu decenti ad nuptias*
„ „ *comparuerant, reliquis vero somnolentis val-*
„ „ *de succensebat, seque ad illos, qui praeparati*
„ „ *accesserant, convertens dicebat: vos sedentes*
„ „ *comedetis, bibetis et gaudebitis. Reliquos*
„ „ *vero sic alloquebatur: vos vero foris subsiste-*

„ „ *tis,*

„ „ *tis, quemadmodum propheta Esaiäs, cap.*
„ „ 65. *idem testatur, inquiens: sic dicit Domi-*
„ „ *nus Deus: ecce servi mei comedent, vos au-*
„ „ *tem esurietis; servi mei bibent, vos autem*
„ „ *sitietis.*" " Haec ille. Talmudicas autem et Rabbinicas istas parabolas si conferamus cum illis, quae in V. T. scriptis occurrunt, in primis etiam cum iis, quibus in docendo usus est Servator noster, quod ad ornatus simplicitatem et veram poëticam rationem et cum brevitate conjunctam absolutionem attinet, prae his longe minoris censendi sunt. Naturalis quippe in illis pulchri ille venustique sensus et in summâ simplicitate sublimitas desideratur, quibus Israëlitarum prophetae, quibus Jesus in primis, omnium prophetarum excellentissimus, fuerunt conspicui. Artem nimis redolent et quidem ejusmodi artem, quae non naturam habet magistram, sed ab eâ multum deflectit. Quo fit, ut pulchritudinis ac elegantiae verae speciem haud referant. Idem fere discrimen inter horum magistrorum, et veterum prophetarum ac Jesu parabolas obtinet, quod observari potuit inter jejunas et exiles oratiunculas illas, quas, exercitii causâ, componebant rhetores veterum Graecorum atque Romanorum, refertas illas omnis generis tropis, ad artis rhetoricae regulas, confectis; et inter orationes principum apud veteres oratorum, qui, sive placido flumine eorum

qua-

quasi labebatur oratio, seu, torrentis ad instar, impetu ferebatur, semper naturam sequebantur magistram, et hinc, quidquid volebant, dicendo efficiebant. Luberet hoc prolixius, collatis, cum Rabbinorum, tum veterum prophetarum et Jesu Servatoris, parabolarum exemplis, demonstrare, nisi doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS, specim. laud. pag. 93. seqq. hunc laborem jam occupasset, praeeunte G. C. G. WEISIO, in diss. *de more domini, acceptos a magistris Judaïcis loquendi ac disserendi modos, sapienter emendandi.* Huc pertinet quaestio; utrum Jesus suas, plerasque saltem, parabolas a Judaeorum sui temporis et antiquiorum etiam magistris mutuo sumserit, et ad peculiare sibi consilium, mutatâ illarum formâ, adhibuerit et ita ad Judaeorum, tum temporis, docendi rationem, quae deinceps quoque invaluit, sese accommodarit; an vero eorum magistri, lectis Evangelistarum narrationibus, e sermonibus Jesu, quas passim suis in scriptis exhibent, parabolas desumserint et in suos usus et ad peculiare cuique consilium converterint?

Quidquid hujus rei sit, de eo nunc quidem disputare, non est animus. Hoc autem animadvertendum esse putamus; haud mirum videri posse, Jesum, inter Judaeos degentem, parabolico et allegorico dicendi genere assuetos, hac quoque ratione in docendo sapienter fuisse usum, quippe non tantum

tum Judaeorum ingenio maxime accommodatâ, sed ex ipsâ quoque humanâ indole ac naturâ haustâ. Ad meliorem igitur institutionis, quae apud Judaeos invaluit, partem tantum sese accommodavit Jesus, omissis illis captiosis ac spinosis quaestiunculis, quibus fere delectabantur Judaeorum magistri. Nec summae Servatoris nostri sapientiae quidquam detrahit, si vel aliquando, in tradendâ suâ doctrinâ, ejusmodi et similes fere adhibuerit fictas narrationes, quas, jam ante eum, adhibuerant Judaeorum doctores in docendo hominum vulgo. Non enim magis sapientiae Servatoris nostri hoc foret contrarium, quam, quod saepius, in suum consilium, usus est proverbiis, in vulgus Judaeorum notis omniumque ore tritis. Sed ea est parabolarum Jesu ratio, ut statuere non necesse sit, eum vel unicam a Judaeorum magistris mutuasse. Nam earum materies ubique ei erat obvia; in ipsâ Judaeorum historiâ, in eorum vitâ et moribus, in civili et religionis ratione, in regionis, in quâ degebat, indole atque naturâ et in caeteris populi et regionis Judaici opportunitatibus. Hinc nihil facilius, quam quod nonnullae ejus parabolae, specie quidem, aliis, quibus, jam ante eum, usi erant Judaeorum magistri, similes fuerint, ex iisdem scilicet fontibus haustae; sed saepius tamen ita dispares, quantum pura ac limpida aqua differat a limosâ et turbulentâ, quam-

vis

vis eodem e fonte, sed per aliam haustâ personam. — Sufficit autem, e collatis inter se omnibus Jesu parabolis, constare, eas consilio Servatoris quam maxime esse adaptatas, et, quidquid hujus generis in Talmudicis et Rabbinicis scriptis reperiatur, ab his longe superari: vid. omnino VAN LIMBURG-BROUWERUS, specim. laud. § 5. p. 83. seq.

---

§ 4.

De institutionis, per parabolas, utilitate.

De institutionis, per parabolas, utilitate acturis distinguendum nobis videtur inter *generalem* et *specialem*. Ad utilitatem *generalem* si attendamus, haec eo in primis pertinere videtur, quod mirum in modum ejusmodi imagines faciant ad *docendum* et de perceptae mente doctrinae seu admonitionis veritate *persuadendum* et *convincendum*. Etenim si ad animi rationem humani advertamus mentem, quippe qui sensibus, tanquam suis administris, facillime edocetur, continuo apparebit, eas notiones, quas, sensuum adminiculo, mens sibi comparavit, melius atque promtius ab eâ esse perceptas, quam, quae cogitando, reflectendo et inde rati-

one

one efficiendo cum ea sint communicatae. Quid, quod omnis hominum scientia a sensuum perceptione incipiat, ac mens, nisi sensibus, tanquam luminibus, lucem acciperet, ipsa per sese in obscuritate quasi et caligine versaretur. Quod quam verum sit, in infantibus puerisque, ipsi animadvertere possumus. Horum enim primae notiones a rebus sensibus objectis ducuntur, ac augentur continue, prouti circulus quasi, in quo moventur, magis magisque sese extendit. Quid, quod ne initio quidem notiones, sed singularum rerum perceptiones tantum, mente accipiantur. Hac autem humanae mentis ratione considerata facile perspicitur, nullam huic ejus conditioni magis accommodatam esse erudiendi et instituendi viam; nullam, humanae cognitionis augendae, magis aptam rationem, quam, quae continue animi naturam humani ejusque agendi modum atque rationem respiciat consulatque. Hinc quoque facillime explicatur, cur pueri, quibus historiola quaedam aut fabula traditur, quaecunque ipsis narrentur, intelligant melius, citius percipiant, diutius memoriâ teneant, si ipsae res narratae, unâ pluribusve pictis tabellis, eorum oculis quoque subjiciantur. Quod, quam verum sit, e puerili quisque aetate satis noverit. Eadem est ratio, cur res gestae, quibus ipsi praesentes interfuimus, memoriae veluti infixae haereant, cum caetera,

quae famâ tantum ad nos pervenerunt, aut quae legendo accepimus, facilius e mente quasi elabantur ac diffluant.

Et quaeso, quae alia esse potest causa, cur elegantissimi quique et nobilissimi, ab omni memoriâ, oratores exquisitissimis et venustissimis passim utantur tropis atque figuris, quam, ut iis, qui audiebant, ea, quae narraverant simpliciter, persuaderent, animumque ac voluntatem eorum, quo vellent, dirigerent ac impellerent. Quanta autem vis insit sensibus, cognitionis ac persuasionis promovendae, vel ex uno hoc Ciceronis loco apparet (*). Ubi "*vidit enim*" inquit "*hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affingi nostris, quae essent a sensu tradita, atque impressa; acerrimum autem, ex omnibus nostris sensibus, esse sensum videndi, quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur, ut res caecas et ab aspectus judicio remotas conformatio quaedam et imago et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti non possemus, intu-*

en-

(*) *De Orat.* Lib. II. c. 87. § 357. Egregie quoque nobiscum consentit E. G. WINELER, *lib. laud.* § 36. p. 202. et 203. et D. A. REGULETH, *lib. laud.* § 4 p. 7.

„ *endo quasi teneremus.*" Itaque Servator, qui animi rationes humani penitus erat perscrutatus, ut sapientissimum decebat magistrum, eâ viâ aditum ad hominum, inter quos degebat, mentes animosque sibi parare studuit, quâ tutissime, ac quasi per compendium, accedere ad utrosque ei licuit, et doctrinam de *regno Coelesti* ejusque mysteria, inde a mundo condito ab humanâ cognitione remota, suae aetatis hominibus aptissimâ ratione, h. e. *parabolis*, tradidit. Potestne autem quidquam humanae menti esse convenientius, ad ejus captum accommodatius, et ad animum persuadendum aptius, quam instituendi ratio, qua ea, quae docentur, a sensuum perceptione quamvis remota, oculis tamen quasi subjiciuntur, ita, ut veluti manibus arripi et tractari possint? Et haec quidem ratio, inter caeteras, una est ea, quae continetur parabolis. Hoc autem jam viderunt, qui, ab antiquissimâ memoriâ, inter suae aetatis homines, sapientiâ floruere, philosophi, poëtae, morum doctores, caeteri; ac propterea parabolis institutionem suam passim illustrarunt. Hinc SENECA (*) "*illi*" inquit "*qui simpliciter et demonstrandae* „ *rei causâ eloquebantur, parabolis referti sunt,* „ *quas existimo necessarias, non ex eâdem causâ,* *qua*

(*) Ep. 59.

„ *qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostrae admi-*
„ *nicula sint et ut discentem et audientem in rem*
„ *praesentem ducant.*" Hinc quoque JOH. CAMERON (*) *in* τοῖς σωζομένοις. "*Haec*" inquit "*do-*
„ *cendi ratio* (*sc.* per parabolas) *simplicissima*
„ *est eadem, quod vel hinc liquet, quod est an-*
„ *tiquissima; itaque et apud sacros et profanos*
„ *authores crebra fit mentio parabolarum, et* ac-
„ commodatissima *est ea docendi ratio* ad captum
„ ingenii nostri." Cum autem parabolas Servatoris nostri, h. e. ipsas, quibus continentur, narrationes, cum doctrinae argumento, quod hâc vel illâ occasione et opportunitate tradere voluit, conferamus, animumque ad scopum sive consilium, quod sibi proposuit, advertamus; nil profecto simplicius, nil ad captum ingenii promtius, nil rei, per omnes partes, illustrandae aptius inveniri aut cogitari potest (†). Sunt enim imagines simplicissimae, ut ipsa simplex est natura, unde sunt haustae. Naturali suo habitu hominem alliciunt, attentionem excitant ac in ejus mentem penetrant. Habent quod placere pueris itemque adultis, multiplicique doc-

(*) P. 115. c. 2.

(†) Vid. EWALD, *Blick Jesu auf Natur, Menschheit und sich selbst* I Betracht. § 3. p. 3. et QUINCTILIANUS, lib. V. c. II.

doctrinâ auctis potest. Quisquis debitâ eas attentione legit, aliquid inde percipit, quo sua, de rebus Divinis, scientia augetur; ac, quo magis eas leget relegetque ac mente perscrutabitur, eo certius sentiet, eas quasi fontem esse perennem, unde continuo desiderium, augendae suae, de rebus Divinis, cognitionis, expleat. Hinc vir quidam doctus ac pietate, inter Germanos, conspicuus, cujus verba non possum, quin hoc loco vertendo exprimam (*). "*Mihi*," inquit "*parabolae videntur quasi* „ *prospectus ex ardui montis cacumine, cum in* „ *longinquo nebulae leves ac pellucidae in aëre* „ *pendent. Oculus quisque, quamvis hebes, vi-* „ *det aliquid et animus quivis gaudio perfunditur,* „ *propter ea, quae videt. At, quo major ocu-* „ *lorum est acies, eo latior prospectus patet;* „ *quo magis animus, rerum objectarum copiâ et* „ *amoenitate afficitur, eo altius pectus voluptatis,* „ *quae inde nascitur, sensu intumescit. Is au-* „ *tem, qui oculorum acie gaudet tali, quali* „ *praeditus est aquila, magnam rerum copiam* „ *deprehendit, quae a quolibet alio animadver-* „ *ti nequit; et tamen, si oculis etiam acutiori-* „ *bus uteretur, longe quoque plura videret.*" Digna sunt, quae hoc loco memorentur verba FRANCIS

(*) EWALD, *lib. laud.* praef. pag. 4 et 5.

CIS BRAGGE, quibus de Servatoris consilio, excitandae, per parabolas, hominum *attentionis* disserit: "*because his plainer and more common discourses were but little regarded by them* (*viz. who are to blame for heedless inadvertency*) *and not consider'd and attended to, as they should be, but forgotten as soon, as heard, therefore, to more to engage their attention and induce them, to look close into and dwell longer upon what he said, he put his discourses into a more mystical and uncommon dress; that their desire of understanding his hidden meaning might employ more of their thoughts about it and put them upon making a further enquiry, than otherwise they would do, and by that means his doctrine make a deeper impression upon their minds and memories. For men are naturally desirous of finding out Mysteries and hidden meanings, and more, than ordinary, attentive to what is unusual and out of de common road of talking, and will take pains, to discover, what is under the disguise of a* parable *and be much more pleased and affected with the discovery of such a hidden treasure* (*to which our Lord elsewhere resembles the Gospel*) *than if the same thing had been offer'd them at an easier rate.*" Haec ille. Neque ab hoc

hoc loco aliena sunt, quae disputat auctor AD HERENNIUM (*), loco supra § 1. pag. 13. jam citato. Magnus quoque ille e nostratibus ERASMUS (†), hac de re sic disserit: "*Proponebat (Christus)* „ *parabolas, h. e. rerum notissimarum similitu-* „ *dines: videtur enim, primâ speciē, puerile ac* „ *ridiculum hujus mundi sapientibus, sed hoc do-* „ *cendi genus placuit aeternae sapientiae. Phi-* „ *losophi magnâ arte contortis syllogismis tene-* „ *bras offundebant auditoribus. Rhetores, admi-* „ *rabili dicendi vi, vim admovebant animis ho-* „ *minum. Pharisaei retrusa quaedam et a po-* „ *pulari captu procul semota congerebant. Cae-* „ *terum hoc doctrinae genus simplicissimum et ab* „ *omni ostentatione alienum sibi delegit Iesus, ut* „ *tota gloria mundi, per Evangelium innovati,* „ *esset Divinae virtutis. Multis itaque parabo-* „ *lis excitavit animos illorum, ut simplici credu-* „ *litate* (fide) *purisque mentibus acciperent ser-* „ *monem Evangelicum, unde salutis nostrae prin-* „ *cipium proficiscitur.*" Sed parabolarum usus generalis non unice in eo cernitur, quod tantopere

(*) Lib. IV. cap. 47.

(†) In *Paraphr. N. T.* ad. Marc. IV. 2. Legi quoque merentur, quae habet R. EYLERT, in Lib. Germ. scripto. *Homilien über die Parabeln Jesu*, praef. pag. 33.

re faciant ad rerum proponendarum illustrationem; verum exinde quoque patet, quod doctrina seu praeceptum, parabolâ traditum, *memoriae* quasi *inhaereat*, ut adeo, simul ac imago seu parabolica narratio menti obversetur, statim quoque memoria rei ipsius, quae imagine, quasi nucleus in nuce, est involuta, recurrat. Quid? quod conspectus earum rerum, quae, in communi vitâ, vel in ipsâ rerum naturâ, quotidie nobis obversantur, unde parabolarum materies mutuo est sumta, hunc habeat effectum, ut a rebus conspectis ad imagines, inde petitas, et ab his ad doctrinam seu praeceptum, quod parabolâ intenditur, animus transeat. Pertinent huc, quae CHRYSOSTOMUS, in hanc rem, sic disserit: ἐπειδὴ γὰρ φιλογμονοῦσι μεταλλεῖν διαλέγεσθαι, δεικνύναι τὴν διάνοιαν τῶν ἐκείνοις πραττομένων διὰ τῆς παραβολῆς· διὰ τοῦτο καὶ ἕτερος εὐαγγελιστὴς φησι, ὅτι ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ὅτι οὐ νοοῦσιν, λέγων· πῶς οὐκ ἔγνωτε τὴν παραβολήν; οὐ δὲ τοῦτο δὲ μόνον ἐν παραβολαῖς φθέγγεται, ἀλλ' ἵνα καὶ ἐμφανεστέρον τὸν λόγον ποιήσῃ, καὶ πλέον τὴν μνήμην ἐνθῇ. καὶ ὑπ' ὄψιν ἀγάγῃ τὰ πράγματα (*). Et quandoquidem ille FRANCISCI BRAGGII liber in paucorum erit manibus, afferenda adhuc videntur, quae in hanc rem quoque hic vir

(*) Vid. quoque GLASSIUS, *lib. laud. II.* Part. I. Tract. II. Sect. V. Art. IV. can. 2. p. 346.

vir disputavit (*). "*And indeed*" inquit "*tho* „ *this be a Mystical way of instruction, and hath* „ *something of obscurity in it, yet, as it may be* „ *manag'd, nothing can be more familiar or mo-* „ *re suitable to the capacities of the meanest au-* „ *ditors. For the vulgar sort are but little re-* „ *ceptive of abstracted notions, and nice and tosty* „ *speculations, and that is most likely to take* „ *with them, which is clouthed in a dress, they* „ *have been well acquainted with, and illustra-* „ *ted by some material representation: for, by* „ *this means, a truth, which otherwise deliver'd,* „ *they would either not apprehend or not consider* „ *and attend to, being expressed by way of re-* „ *semblence to what they have been much used to* „ *and understand very well, is presently entertai-* „ *ned and becomes familiar and easie to them* „ *and they can as well remember and attend to* „ *it, as to other common concerns of life. And* „ *accordingly we find our Lords parables taken* „ *either from some common and known actions of* „ *men, such as of a husbandman, sowing corn in* „ *his field, and the springing up of weeds with* „ *the good corn.*" caet. "*Relations of these na-* „ *tu-*

(*) *Praef.* p. 5. et ANDR. GRAY, *Vorlesf. über die Gleichnisreden unsers Heilandes*, p. 22. sub. fin.

„ *ture are easily remembred, and people are na-*
„ *turally apt, to listen and attend to them and*
„ *the meanest capacity can understand and ap-*
„ *prehend them, and if well-manag'd they make*
„ *what is represented by them appear very lively*
„ *and affecting, as if it were acted before our*
„ *eyes, and by this means the truths deliver'd*
„ *under the disguise insinuate themselves and*
„ *work upon the mind even before a man is aware*
„ *of it, or can set himself to make resistance.*"
Et haec quidem de parabolarum utilitate generali sufficiant. Ad *specialem* nunc nobis erit transeundum. Ad hanc quod attinet, cum parabolarum involucro, aeque ac fabularum, ita saepe morum praecepta tradantur, ut, exemplo, e vitâ communi petito, simul ostendatur atque ante oculos ponatur, quam ab omni humanitate aliena, quam prorsus infra dignitatem hominis, ac fini, in quem natus est atque in hoc terrarum orbe collocatus, plane contraria sit ac voluntati repugnet divinae eorum agendi ratio, in quos ficta est parabola; ut adeo hominum indocilium et praefractorum *confutatio* et *redargutio* simul intendatur; prae simplici admonitione et redargutione, hunc habent usum, ut sponte suâ hominum sese animis, a morum disciplinâ alioquin, quam maxime, alienis, insinuent, atque impediant, quominus animi affectus statim move-

an-

antur, salutari disciplinae seu praecepto, quod nunc parabolarum velamine traditur, repugnent, atque ita irrita ea faciant, ad hominum animos moresque emendandos. Pertinent huc CHRYSOSTOMI verba: (*) τὸ μὲν οὖν εἴπειν ἐξ αὐθαίας ὅτι αὐτὸς διδάσκει τοῖς γραμματεῖς, οὐχ οὕτως ἐπείσει ὡς παραδέξεται τὸν λόγον· τὸ γὰρ ἐκμιξῶν τὴν παραβολὴν καὶ δι' ταύτης κατασκευάσας τὸ πᾶν μάλλον ἐπείθε καὶ μετὰ πλείστης παραμυθίας ἐφαλκίζετο τὸν ἀκροατήν. Exempla, in hanc rem, adducuntur a SAL. GLASSIO (†), qui sic suam explicat sententiam. "*Quando* „ *Dominus volebat, ut Judaei nescientes in se* „ *ipsos sententiam dicerent, id per parabolas ex-* „ *torquebat. Sic, in parabolâ propositâ* de vineâ, „ *ignorantes, quo Dominus tenderet, ad quaesitum* „ *ejus vs.* 40: cum ergo venerit Dominus vineae, „ quid faciet agricolis illis? *responderunt:* malos „ male perdet et vineam suam locabit aliis agrico- „ lis, qui reddent ei fructum temporibus suis. „ *Ita scil. se ipsos condemnabant, unde vs.* 43. „ *Christus subjungit:* ideo dico vobis; quia au- „ feretur a vobis regnum Dei et dabitur genti fe- „ renti fructus ejus, vid. Luc. VII. 43. *Pari* „ *modo, postquam Nathan proposuisset parabolam* „ *su-*

(*) In cap. Matth. III. Homil. 11. Tom. VII. p. 156.

(†) *Phil Sacr.* Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V. Art. IV. p. 146.

„ *suam Davidi; respondit is:* vivit Dominus, „ quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc. *Tunc* „ *dixit Nathan ad David: tu es ille vir, qui* „ *fecisti hanc rem.* 2 *Sam.* XII. 6, 7. *vid.* 1. „ *Reg.* XX. 39—42." (*) Huc quoque valent verba STORRII (†). "*Fabularum*" inquit ("quo no- „ mine universe parabolas recenset, ut supra § 1. p. „ 55 seq. vidimus) *universe magna utilitas in eo* „ *sita est, quod doctrinam, cujus vim, ad nos ip-* „ *sos directo conversam, affectuum intemperantiâ,* „ *haud dubie infregisset, alio, sed simili et uni* „ *eidemque doctrinae* (generaliori *sc.*) *subjecto* „ *exemplo declarant*" (§). *Deinde* quoque eo va-

(*) Secutus est GLASSIUS, utroque loco, ab illo laudato, versionem *vulgatam*, quae dicitur; quae ubique fere particulam ὅτι, quae, praemissa verbis, quae ab aliquo dicta citantur, vertendo in Latinam linguam, exprimi non debent, male vertit. Melius CASTELLIO, Latinitatis purioris ille sectator diligens, qui ita *priorem* vertit locum: "*quamobrem scitote: auferendum a vobis Dei regnum* „ *et genti dandum fructus edituraе.*" *Posteriorem* autem locum 2 Sam. XII. sect. apud eum, 5ta, sic vertendo expressit: "*Per Jovam immortalem! morte dignus est istius* „ *auctor facinoris;*" ubi LXX. habent ζῇ κύριος ὅτι υἱὸς θανάτου ὁ ποιήσας τοῦτο. conff. quoque HESZ, *lib. laud.* VI. Afd. p. 212. init. et ANDR. GRAY, *lib. laud.* p. 21.

(†) *Opusce.* Vol. I. Dissert. II. § 9.

(§) Vid. quoque EWALD, *lib. laud.* § 4. p. 16.

valent parabolae, ut veritates quasdam sublimiores, ad quarum captum plebs indocilis, propter praejudicatas, quibus innutrita est, opiniones, parum apta reperitur, *quodam* quasi *velo* tegant, ne ejus doctrinae, ad quam capiendam mens hominum plebejorum non satis exculta est, novitate offensa in ejus auctorem hostilem suscipiat animum. Quod autem non ita intelligendum, quasi Servator hasce veritates sublimiores ab indocilis plebis cognitione absolute removere voluerit: hoc enim prorsus a doctoris munere et universo ejus consilio abhorrebat. Sed unicum hoc ei superabat remedium, quo aliquando, ad mysteriorum regni coelestis cognitionem, accedere possent homines isti; scilicet institutio parabolica. Aperte enim his de rebus disputans surdis non tantum narrasset auribus, sed inimicum quoque in se animum provocasset Jesus. Itaque, quae de regno Messiae dicenda ei erant coram plebe, ea parabolis involvit, ut, si forte, inter istos homines, invenirentur, qui non plane obsurduerint, sed ὦτα adhuc habuerint ἀκουεν, eorum curiositatem et attentionem, auditâ parabolâ, excitaret, et ipsâ parabolae difficultate, ad inquirendum ejus sensum, eos stimularet. Haec una erat ratio, quâ plebs Judaeorum, pravis de regno Messiae opinionibus imbuta, non ratione, sed sensibus ducta, ad aliquam saltem veraeregni

Mes-

Messiae rationis intelligentiam, perveniret; quâ, tanquam fundamento, deinceps plura superstrui possent. Praeclare admodum hunc locum tractavit Cl. F. A. BORGER (*): "*Jesus*" inquit "*iis invo-* „ *lucris usus est, non profecto ad* obscurandam, „ *sed ad* illustrandam *suam doctrinam. Ecqua* „ *enim ista oratio sit* (Marc. IV. 10. seqq. et Luc. „ VIII. 9. seqq. (†)): quoniam gens Judaeorum „ stupida est neque ei, ut vobis, concessa est, „ τοῦ

(*) In lib. *de constanti et aequabili Jesu Christi doctrinâ ac docendi ratione*, caet. Part. I. p. 174. seqq.

(†) Cl. BORGERUS, *lib. et loc. laud.* in nota, meo quidem qualicunque judicio, loca Marc. IV. 10. seqq. et Luc. VIII. 9. optime sic explicuit: "*Atqui perspicuum est* Marci *et* Lucae *loca non esse conferenda cum Matth.* XIII. „ 13. *Sed cum Sect.* 15. *ubi laudatur locus Jesajae* VI. „ 9 et 10. *Ad hoc vaticinium spectant eorum Euangelista-* „ *rum loca, in quibus inest breviloquentia, sic explicanda:* „ *propterea parabolis utor, ut verum esse appareat, quod* „ *dicit Jesajas, sive, ut ostendam me assentiri Jesajae,* „ *qui ita dicit:* βλέποντες caet. *Est igitur ἡ ἐκβατικὸν, ut* „ *saepissime in N. T.*" — "*Quomodocunque autem*" sic pergit p. 178. fin. "*Matthaei caeterorumque loca laudd.* „ *explicentur, illud certe Jesu verba docent, propterea a se* „ *parabolas adhiberi, quia haec instituendi ratio ad Ju-* „ *daeorum ingenia maxime esset accommodata, neque ul-* „ *lam spem esse, eos doctrinam suam probaturos, si parabo-* „ *lis, quibus illa continuatur, offendantur.*"

„ τῶν μαθητῶν intelligentia, propterea apud eos ob-
„ ſcuriorem docendi rationem adhibeo? *Atqui*,
„ *eam ipſam ob cauſam, magis perſpicua ratio*
„ *adhibenda erat. Propterea Servator etiam*
„ *aegre ferebat, ſi ipſius discipuli ne parabolas*
„ *quidem intelligerent. Matth.* XV. 16. *Marc.*
„ IV. 13. *Eam vero ob cauſam verborum invo-*
„ *lucris uſus est, quia non hoc tantum erat pa-*
„ *rabolarum conſilium, ut doctrina* declararetur
„ *verum etiam, ut ejus* offenſio omnino tollere-
„ tur, *aut certe imminueretur. Illud enim pa-*
„ *rabolarum genus, quo Servator uſus est, mi-*
„ *rifice valebat ad doctrinae asperitatem mollien-*
„ *dam. Cum enim a rebus obviis ac vulgaribus*
„ *parabolarum materiam ſumeret, fieri aliter*
„ *non poterat, quin doctrinae, quae, nude poſi-*
„ *ta, incredibilis videri Judaeis ac displicere*
„ *deberet, ab ipſâ naturâ magna probabilitatis*
„ *commendatio accederet. Deinde, quamquam*
„ *hoc omnium parabolarum commune est, non Je-*
„ *ſu proprium, ipſae verborum imagines cum men-*
„ *tem ab ipſis rebus avocent et alio traducant,*
„ *tegunt quodammodo et obruunt doctrinae offen-*
„ *ſionem.*" CHRIJSOSTOMUS (*) quoque in hanc
rem

(*) Tom. VIII. in cap. JOANNIS X. 35. Hom. 59. p. 349. Legi quoque merentur, quae idem auctor ſcripſit, Tom.

rem ὁρᾶς, inquit: πῶς δὲ ταῖς παραβολαῖς ὑψηλότερον φθέγγεται ἐνθα συνεσκίασται ὁ λόγος καὶ οὐ δίδωσι λαβὴν φανερὰν τοῖς ἀκροωμένοις. Inprimis autem vim habebant Parabolae ad Divina mysteria *occultanda* Pharisaeorum et legisperitorum gregi, veritatis luci inprimis inimicae. In hos enim, prae indocili plebe et hominum vulgo, valebat fere illud Jesaiae vaticinium, a Jesu Matth. XIII. 13—15. citatum. Scilicet ita fere comparata fuit istorum hominum mens, eo tempore, quo Jesus doctoris publici munere, inter Judaeos, fungebatur, ut sibi de praeclarâ doctrinae regni Coelestis indole, quamvis simpliciter et aptâ ratione propositâ, persuaderi haud passi fuerint. Tam pertinaci studio, suis de morum disciplinâ, de religione ac de futuro Messiae regno, opinionibus, quam maxime pravis, adhaerebant, ut nulla institutionis claritas, nulla vis argumentandi tantum apud eos valeret, ut, veritatis luce, errores, quibus mens, nebulis veluti, tecta erat, dispelli sinerent. Quid? quod mentis eorum caecitas eo processerit, ut vel facta Jesu mirifica, quibus, cum ejus Divina vis atque auctoritas, tum animus erga miseros homines benignissimus, quam maxi-

Tom. VII. in cap. Matth. XIII. 10. Hom. 46. p. 475. seq. item, quae habet B. G. WINKLER, *lib. laud.* § 40. p. 223.

maxime apparuit, daemonum principi tribuerent. — Haec autem mentis eorum occaecatio quaerenda erat in summâ animi pravitate, quâ quibusvis vitiis indulgebant ac in suâ sibi improbitate valde placebant; ut mirum videri haud possit, ipsos ferre doctorem, qui eorum animum quasi inspiciendum aliis praeberet, ac, quae ibi foeda atque sordida laterent, quasi in aperto poneret, haudquaquam potuisse; sed hostili in eum animo et in omnem ejus doctrinam saeviisse. Istiusmodi hominibus Divini mysteria regni porro declarare velle, idem foret, ac διδόναι τὸ ἅγιον τοῖς κύσι, καὶ βάλειν τοὺς μαργαρίτας ἐμπρόσθεν τῶν χοίρων. Itaque sapienti consilio Jesus veram regni Coelestis, cujus auspicandi causâ in terram venerat, indolem, futuraque hujus fata imaginibus involvit, cum plane aperteque his de rebus loqui, propter Pharisaeorum et procerum omnino pertinaciam, animique duritiem, ei non liceret; ne ipsi accideret, de quo Apostolos jam ante admonuerat, scilicet, ut, τὸ ἅγιον καὶ τοὺς μαργαρίτας doctrinae suae coelestis, ante oculos eorum, ponendo, efficeret, ὅτι καταπατήσωσιν αὐτὸν ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν καὶ στραφέντες ῥήξωσιν αὐτὸν. h. e. ut doctrinam suam sanctam eorum calumniis exponeret et invidiam eorum atque odium in se magis lacesseret. Itaque non omnino Servatoris nostri consilium fuit, aut esse etiam potuit, ut Divini mysteria regni, ab istius-

 mo-

modi hominibus, ignorarentur; quod vel inde patet, quod, propositâ aliquâ parabolâ, saepius cum gravitate dixerit ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. Quo dicto incitare auditores omnino omnes voluit, ut animum hisce parabolis adverterent. Et profecto, si quis istorum hominum, vere discendi cupidus, earum parabolarum argumentum nosse et in suos usus convertere voluisset, Servator, ad id rogatus, ejus desiderio satisfacere gravatus non fuisset. Verum enim vero, cum, per animi eorum indolem, penitus depravatam, ut supra ostendimus, potestas ipsis non data esset, Divini mysteria regni mente percipiendi, animoque amplectendi, nec non de regni Divini rationibus plana quaevis expositio non tantum in ejus detrimentum verteretur, sed et eorum culpam augeret, parabolicâ instituendi ratione usus est Jesus, quâ simul munus, cujus fungendi causâ in mundum venerat, scilicet, ut homines veritatis luce collustraret, sartum tectumque mansit. Hinc quoque explicari ac intelligi debet παραδόξον illud, quo, Apostolis rogantibus, cur in parabolis, coram hominum turbâ, loqueretur, hanc rationem reddidit: ὅτι γὰρ ἔχει δοθήσεται αὐτῷ καὶ περισσευθήσεται, ὅς δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Scilicet, naturali quodam nexu, Dei provida cura haec inter se conjunxit, ut, quicunque suâ intelligendi facultate recte utatur, nec mentis quasi oculos ve-

veritatis lumini claudat (ὃς οὐκ ἔχει), is continuo scientiâ salutiferâ augeatur ac verâ sapientiâ crescat (προσθήσεται αὐτῷ); cum e contrario quisque, mentis suae facultatibus non utens, nec, quae Dei providentia largita est, remedia atque praesidia, ad humanae mentis illustrationem, studiose adhibens, (ὃς οὐκ ἔχει) magis continuo a veritate aberret ac in gravissimos ducatur errores; adeo, ut vel simplicem illum veritatis sensum, quâ naturâ imbutus est, perdat; quin ab ipsâ Dei providentiâ, quae nemini beneficia sua obtrudit aut confert in quemquam, qui prorsus ea respuit atque in suum ipsius damnum convertit, his tandem adminiculis destituatur, quae, salvo in homine veritatis sensu ac studio, unicuique a Deo larginntur (καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ) (*). Sed et *praeterea* aliquot Servatoris nostri parabolae hunc usum habent, ut doctrinam, quam, imaginibus, e rerum naturâ aut e vitâ communi desumtis, proponant, ipsis his imaginibus *confirment*, *fidem atque auctoritatem ei concilient*, et id, quod, ante, quam evenerit, in regno Dei fieri haud posse humana mens judicaret, fie-

(*) Vid. GLASSIUS, *lib. et loc. laud.* p. 347. A. BRINK, *de leer en leerwijze van Jesus*, p. 281. med. et omnino legi merentur, quae hac de re scripsit FRANCISCUS BRAGGIUS, *lib. laud.* praef. pag. 1. seqq. edit. 3.

fieri omnino posse, exemplo, e rebus, sensibus nostris expositis, petito, demonstrent. Quod maxime valet de parabolis Matth. XIII. propositis. Pertinent huc CICERONIS verba (*), cum "*maximam* „ *autem*" inquit "*facit fidem ad similitudinem* „ *veri, primum exemplum; deinde introducta* „ *similitudo. Fabula etiam nonnunquam, etsi* „ *est incredibilis, tamen homines commovet.*" *Denique*, cum multae parabolae Regni coelestis (h. e. rei Christianae) fata, quae cum fatis populi Judaici ejusque urbis capitalis, Hierosolymae, arcte juncta erant, proponant quidem; sed simul velamine quodam tegant, per quod auditoribus, qui tum eum sequebantur, penitus penetrare, haud liceret, quippe impeditis communi Judaeorum, de regno Messiae, perversâ opinione, ac de Hierosolymâ, olim orbis terrarum futuro capite; magnam tamen deinde habuere utilitatem, in *convincendis* ac in *fide erga Christum confirmandis discipulorum caeterorumque Christianorum animis;* cum harum parabolarum auctoritas, in minimis quoque adjunctis, eventu rei, simplicissimâ imagi-

(*) *Oratt. partitt.* cap. XI. § 40. vid. ANDR. GRAY, *lib. laud.* p. 21. EWALD, *lib. locoque laud.* et E. A. BORGER, *lib. laud.* p. 178. inde a verbis: "*Cum enim a rebus obviis*" caet.

gine praedictae, integra redderetur. Hujusmodi autem parabolarum exempla exſtant Matth. capp. XXI. et XXII. (*). Haec de parabolarum utilitate jam ſufficiant; nec esſe quemquam, quin hac de re ſibi perſuadeat, existimamus.

---

§ 5.

Parabolarum Jeſu poëtica ratio.

Ex ipſâ parabolarum definitione, quod ſcil. ſint narrationes fictae, ſponte ſequitur, eas esſe *genus quoddam poëſeos*. Ut autem de poëticâ earum ratione recte judicemus, ante omnia inquirendum erit, ad quod genus poëſeos referri debeant. Videtur autem haec res haud magnae admodum difficultatis; etenim vel parum intenta earum conſideratio quemvis facile docebit, eas ſingulari quodam poëſeos genere contineri, Orientalibus maxime trito. Quod cum ex ſcriptis horum monumentis antiquisſimis, tum quoque e testimoniis eorum patet, qui aliquamdiu inter ipſos degerunt, atque, ad litteras eorum cognoscendas, accesſerunt. In cae-

(*) Vid. J. J. HESZ, *lib. laud.* Sect. VI. p. 210. ſup.

caeterarum autem, priscae originis, nationum scriptis passim modo reperiuntur, ut v. c. apud Graecos atque Romanos, quod notum est iis, qui AESOPI ac PHAEDRI fabulas legendo cognoverunt. Habent autem Orientalium parabolae peculiare quiddam, quod in caeterarum gentium parabolis non sic reperias; habent sereni et magnifici aliquid, ut ipsum Orientale coelum serenum; natura ipsa in Oriente magnifica est. Fulgent, ut ita dicam, et ardent, quibus pinguntur, colores, ut fulgent et micant, quos largâ Oriens producit copiâ, flores; quo natae sint solo, statim, e primo illarum conspectu, cognoscitur. Quod ad earum formam attinet, ea prorsus *historica* est, nec quidquam in iis reperitur, quod huic formae repugnet. Hinc VORSTIUS (*) de parabolis Servatoris disserens: "*Sed est et aliud*" inquit "παραβολῶν *genus in N.* „ *T.*, *quod scil. Salvator ad rem aliquam prae-* „ *sentem indicandam*, *sive demonstrandam utitur*, „ *quasi* historiis quibusdam de rebus vere gestis, „ deque certis hominum individuis." Hinc etiam vir. quidam Cl. (†) eas ad *epici* genus poëmatis re-

(*) De *Hebraïsmis N. T.* cap. IV, p. 140. Edit. FISCHERI.

(†) F. A. KRUMMACHER, *über den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte*, § 224. Vidd. quoque HEUSZ, *lib.*

refert, quod de *Hebraeo-historico* genere interpretatur. — Quod autem ad earum *character*, quod dicitur, *poëticum* attinet, obſervandum est, eas *ſummâ veritate* et *abſolutâ perfectione* esſe conſpicuas. *Veritatem* autem, cum dicimus, intelligimus eam, quae cernitur in accuratâ imaginis, cum re, quam proprie repraeſentat convenientiâ, ita, ut ne minima imaginis particula haud reſpondeat alicui ipſius rei parti, unde imago mutuo est ſumta. *Perfectionem* autem eam volumus, qua ipſae parabolae, per ſeſe, totum aliquod efficiunt, ac nil in iis deſideratur, quod ad id, quod intendebat Servator, deſignandum, vel tantillum facere posſet. His facile, ut opinor, dictis, apparebit, poëticam parabolarum rationem, ſi recte dijudicare velimus, ad hujus rei examen non adhibendas esſe ejusmodi regulas, ad quas vulgo Fabulae, quae dicuntur Aeſopicae, aestimari ſolent; alia enim est parabolarum, alia plane fabularum ratio, et utrasque a ſe invicem multum differre, jam alibi ostendimus. Recte autem hâc in re verſari cupientibus in primis ne-

lib. laud. §§ 218, 219. R. EILERT jun. in *Homiliis, de Parabb. J. C.* Germanice ſcriptis, praef. p. 50. ſeqq. et, qui hac in re clasſicus, a BERTHOLDTIO, perhibetur libellus KOSEGARTENII, *de auctorum ſacrorum ipſiusque Jeſu Christi vi atque indole poëticâ*, Rost. 1796. 4. p. 26. ſeqq.

necesse erit, ut ex ipso parabolarum quasi sinu leges eruamus, quarum judicio subjici debeant. Conferendae, hunc in finem, inter sese omnes Servatoris sunt parabolae, et harum quoque comparatio cum caeteris, quae in antiquissimis Orientalium monumentis et in serioribus horum scriptis reperiuntur, accurate est instituenda. In primis autem requiritur judicium, assiduo rerum Orientalium studio, exercitatum, ac tum demum licebit, de hoc, Orientalibus quasi proprio ac domestico, poëseos genere sententiam pronunciare. Nullus autem dubito, quin unusquisque, hâc ratione usus, neque alienâ artis ambage impeditus, quominus poëticam parabolarum rationem, ex ipso earum diligenti studio, cognoscat, toto confessurus sit animo, Servatoris nostri parabolas, in hoc genere poëseos, excellere. Quâcunque enim eas ratione consideres, sive animum ad earum *materiam* advertas, seu externum earum habitum atque *formam* adtendas, in oculos statim incurret, naturam eas sequi magistram, eumque, qui, ad homines, de regni Divini ratione, edocendos, iis usus fuerit, unice eam consuluisse atque expressisse. Mox enim inducit auditores in scenam domesticam; mox imagines repetit e re agrariâ, e culturâ vinearum, ac pastorali vitâ. Aliquando res civiles in usum adhibuit, ut: mercaturam, architecturam, piscaturam, causae for-

forenſes; belli gerendi artem, caet. Nonnunquam vero, ſed raro admodum, imagine uſus est ductâ, e vulgari opinione, quam ſibi, de rebus post mortem futuris, formarunt Judaei v. c. in diverſâ, quae diviti isto epuloni et Lazaro egeno, post utriusque obitum, contigerit, ſorte proponendâ (*). Hanc autem omnem materiam ita tractavit, ut cum majori ſimplicitate itemque dignitate; copiâ ac brevitate; elegantiâ et gravitate; ſingularum inter ſe partium cohaerentiâ, ac univerſae imaginis, cum re, quam ponere ante oculos debeat, convenientiâ tractari a nemine potuerit. Ad inſtar pictae, arte ſummâ, tabellae, ne minimus quidem ductus, ne lineola, ne umbra quidem, utut leviſsima; nullus omnino color, qui perfectam reddere ac abſolutam imaginem, ac rei, quam quaſi in ſinu gestant, intelligentiam promovere posſit, in iis deſideratur. Nil in iis reperitur prorſus ſuperfluum, nihil otioſum, nihil, quod luxuriantis esſet foetus ingenii. Eodem prorſus modo omnes parabolae partes, minutisſimae quoque, apte inter ſe cohaerent atque ad totius perfectionem imaginis conſtituendam aeque faciunt, ac ſoni, ad gratam auribus harmoniam, compoſiti. Totum aliquod perficiunt, quod, nativo ſuo

(*) Plura qui hac de re cupit, adeat J. P. HESZ, *lib. laud.* VI. afd. p. 227. ſeqq.

ſuo decore ac venustate eximiâ, in imaginandi vim animi humani, cujus ſenſus nondum obtuſus est, ad naturae gratam vocem percipiendam, non minus efficaciter agit, quam, aptâ ſonorum harmoniâ, internus afficitur ſenſus. Et ut corporis pulchritudo, aptâ compoſitione membrorum, movet oculos et delectat, hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes, cum quodam lepore, conſentiunt, ſic quoque illa venustas, illud decus, quae elucent in parabolis Servatoris nostri, admirationem atque approbationem movent omnino omnium, quorum animus pulchri venustique ſenſu vel paululum est tinctus atque imbutus.

---

§ 7.

Parabolarum, quae N. T. Scriptis continentur, ſeries.

Disputatis, quae de parabolarum vi ac naturâ nobis videbantur, *ſeriem* quandam exhibebimus, qua fere continentur illae Servatoris nostri figuratae orationis partes, quas parabolarum formae, cujus rationem § 1. pag. 53. definivimus, accenſendas putamus.

Fortasſis et alias dictiones figuratas, in Jeſu ſermo-

monibus obvias, quispiam huc referat, quae tamen, ad *allegoriarum* rationem propius accedere, nobis quidem, videbantur; ut sunt v. c. quae, Joan. X. cap. Jesus disserit: *de januâ, per quam in ovile esset ingrediendum*, caet. *de pastore bono, vitam pro grege suâ offerente*, caet. et cap. XV. *de verâ vite et de palmitibus cum eâ junctis*, alia. Cum autem inter *allegorias* et *parabolas*, speciali illâ notione, qua parabola à nobis est circumscripta, magna nonnunquam intercedat similitudo, cum nemine contendamus, qui ejusmodi allegorias, quales, locis citatis, exhibet Joannes Euangelista, parabolis annumerandas censeat. — Itaque hae fere sermonum Jesu partes, obviae in trium priorum Euangelistarum scriptis, speciali illâ notione, parabolarum nomine insigniendae nobis videntur.

Matth.	Marc.	Luc.
Cap. VII. 24—27.	Cap. „ „	Cap. VII. 41, 42.
IX. 16, 17.	„ „	X. 30—35.
		XI. 5—7.
XII. 25b. et 29	III. 23—27.	„ 17b—22.
XIII. 3—8.	IV. 2—8.	VIII. 4b—8.
„	„ 26—29.	XII. 16—20.
„ 24—30.	„ „	„ 36—38.
„ 31, 32.	„ 30—32.	XIII. 18, 19.
„ 33.	„ „	„ 20, 21.
„ 44.	„ „	„ 6—9.
„ 45, 46.	„ „	XIV. 8—10.

Cap.

Cap. XIII. 47—50.		Cap.	„	„	Cap. XIV. 16—24.
„ 52.		„	„		„ 28—30.
„ „		„	„		31, 32.
XVIII. 12, 13.	. . . . .	„	„	. . . . .	XV. 3—6.
„ „		„	„		„ 8, 9.
„ „		„	„		„ 11—32.
„ „		„	„		XVI. 1—8.
„ „		„	„		„ 19—31.
„ „		„	„		XVII. 7—9.
„ „		„	„		XVIII. 2—5.
„ „		„	„		10—13.
XXI. 28—31a.					
33—41	. . . . .	XII.	1—9.	. . . .	XX. 9—16.
XXII. 2—13.		XIII.	34.		
„ 43.		„	„		
XXIV. 45—51.	. . . . .	„	„	. . . . .	XII. 42—46.
XXV. 1—12.		„	„		„ „

Ex hac autem qualicunque parabolarum ſerie apparet, nonnullas a tribus quidem Euangelistis esſe memoratas; alias autem a duobus modo narrari; alias uni eorum tantum esſe peculiares; quod in primis in Lucae Euangelio obſervandum, qui venustisſimas, et, ut ita dicam, elaboratisſimas Jeſu parabolas litteris conſignavit, quae apud caeteros quidem Euangelistas non leguntur, ita tamen ſunt comparatae, ut Orientalium, in hoc orationis genere, rationem nobis referant. E collatione quoque earum parabolarum, quas plures Euangelistae ſimul nobis exhibent, apparet, non eadem omnes

oc-

occasione, quamvis ipsa narratio sit eadem, a Jesu esse pronunciatas. Sic v. c. parabolae de *semine sinapis* et de *fermento* aliâ occasione narratae occurrunt apud Matth. cap. XIII. 31—33; aliâ apud Lucam, cap. XIII. 19—21. (*). Idem obtinet in parabolis, quas narrat Matth. cap. XVIII. 12, 13. et Luc. XV. 3—6. quas, aliâ atque aliâ occasione, alio quoque consilio, Jesus proposuit.

---

§ 7.

De parabolarum Servatoris nostri argumento.

Quod ad earum *argumentum* attinet, non omnium parabolarum eadem est ratio, et commode, ut nobis quidem videtur, in quasdam *formas* sive *species* dividi possunt. — Sunt igitur parabolae vel *didactici*, vel *prophetici*, vel *prophetico-didactici*, vel *prophetico-dogmatici*, vel *didactico-dogmatici*, vel denique *didactico-prophetico-dogmatici* argumenti. Et

1°. qui-

(*) Vid. STORRIUS, *Disert. exeget. in librorr. historicc. N. T. aliquot locos*, P. II. p. 34. opuscc. Vol. III. p. 130.

1°. quidem *didacticas* eas intelligimus, quae sive *praeceptum* aliquod, *ad morum informationem pertinens* seu quoque *prudentiae* quandam *regulam*, cum in vitâ communi, tum in primis in re religionis, continent

a.) *Morum praecepta* nobis tradunt parabolae, Matth. XXI. 28—31. XXIV. 45—51. coll. Luc. XII. 42—46. — Luc. VI. 39. VII. 41—43. X. 30—37. XII. 16—21. XVIII. 9—14. obviae

b.) *Prudentiae regulam*, in primis in re religionis, nobis perhibent parabolae, quas tradit Jesus, Luc. XIV. 28—30. et 31—33. XVI. 1—9.

2°. Parabolae simpliciter *propheticae*, h. e. quae futura regni Messiani fata et quae his arcte sunt juncta adumbrant, eae videntur, quae occurrunt Matth. XIII. 31, 32. coll. Marc. IV. 30—32. et Luc. XIII. 19. Matth. XIII. 33. coll. Luc. XIII. 20.

3°. Ad *prophetico-didacticas* h. e. quae ea, quae notavimus sub 1°. et 2°. conjungunt, eas referimus, quas narrat Matth. XIII. 44. ibid. 45, 46. XXI. 33—43. coll. Marc. XII. 1—9. et Luc. XX. 9—16. Matth. XXII. 1—13. XXV. 1—13. Marc. IV. 26—29. Luc. XIII. 6—9. XIV. 16—24.

4°. Ad

4°. Ad *prophetico-dogmaticas* referendae videntur, quae, praeter ſignificationem fatorum regni Mesſiae, hujus quoque placita nobis exponunt. Pertinent huc, quae leguntur Matth. XIII. 3—8. coll. Marc. IV. 1—8. et Luc. VIII. 5—8. Matth. XIII. 47—50.

5°. *Didactico-dogmaticis* accenſeri posſint ſequentes: Matth. XVIII. 23—35. XXV. 14—30. Luc. XV. 3—7. 7—10. 11—32. XVI. 19—31. XVIII. 1—8. (Joan. X. 1—5).

6°. *Ad didactico-prophetico-dogmaticas* denique pertinent, quas narrant Matth. XIII. 24—30. et Luc. XIX. 11—27.

---

§ 8.

De univerſo, quod, parabolis ſuis, Jeſus habuit, conſilio.

Quamquam ſuperiori §. parabolas Servatoris nostri ad certas quasdam ſpecies ſeu formas retulimus, ipſaeque hae imagines, *datâ ſemper occaſione*, *ſpeciali* quoque *conſilio*, a Servatore adhibebantur, ſive, ut pravas praejudicatasque discipulorum,

rum, aut omnino quoque auditorum, opiniones carperet; seu, ut ad alicujus praecepti moralis studium eos exhortaretur; seu denique, ut perversam animi indolem agendique rationem ipsis exprobraret; ea tamen omnium est ratio, ut *arctissimo cum doctrinâ de regno Coelesti vinculo contineantur.* — Scilicet Servator his imaginibus futuris regni sui ministris veram ejus rationem; leges, quibus, in hoc regno, obtemperare ipsi et ad quarum observationem alios adhortari, admonitione atque exemplo, deberent; errores, a quibus sibi ipsis erat cavendum; fata, quae huic regno prospera atque adversa essent eventura; summam denique gloriae majestatisque fastigium, ad quod aliquando hoc regnum esset evehendum, tanquam elementariâ institutione, tradere voluit. Hac enim ratione praeparabantur, ad munus legatorum Jesu, Euangeliique, de regno Coelesti, nunciorum rite ac gnaviter obeundum; ipsisque addebatur animus, hoc suo munere constanter perseverandi. — Perversae quoque illae opiniones, de regno Messiae, ad solos Judaeos pertinente, quibus, cum caeteris suae gentis hominibus, indulgere solebant, hac ratione, quasi suffodiebantur, ut deinceps, accedente Spiritus Sancti institutione, facile collaberentur. Et profecto doctrina de regno Coelesti, quae parabolis, quasi fructus in hirsutis castanearum oper-

cu-

culis, continebatur (*), erat illa institutio ἐπιγεία (†), quae ad captum et ingenia Judaeorum omnino, speciatim autem discipulorum suorum, maxime erat accommodata. Hi enim, quamvis, prae caeteris suae gentis hominibus, maxime principibus, veritatis amantes, animique simplicitate praestantes, institutionem illam ἐπουράνιον, qua res coelestes nude ac sine ullo tegumento, ut ipsae sunt per sese, traduntur, nondum ferre poterant. Erat enim haec, per parabolas, docendi via ipsis quasi crepusculum secuturae aliquando diei plenae, qua veritatis lucem, quod ad doctrinam de regno Coelesti, inoffensis mentis quasi oculis, intuerentur; dissipatis jam prorsus errorum et praejudicatarum opinionum tenebris. Huc valet illud Servatoris effatum ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν· ἀλλ', ἔρχεται ὥρα, ὅτε οὐκ ἔτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν ἀλλὰ παῤῥησίᾳ. Haec autem facultas, ipsam ve-

(*) HIERONYMUS, in cap. XII. Eccl. hoc modo parabolam describit: "*Parabolae*" inquit "*aliud in medullis habent, aliud in superficie pollicentur, et quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur; ita in eis divinus sensus est perscrutandus.*"

(†) Vid. Cl. BORGER, *de constanti et aequabili J. C. indole, doctrina, ac docendi ratione*, P. I. ad Joann. III. 12. p. 165. seqq. cujus, de hac sectione, sententiam meam facio.

veritatem, uti ipsa per se est, intuendi, cum legatis Jesu, ejusque, in regno suo constituendo, ministris, communicata fuit, illo die, quo πνεῦμα ἅγιον in eos largiter effusum est. — Plura autem qui, de consilio Servatoris nostri universo, in adhibendâ parabolicâ institutione, legere cupiat, adeat, quae, in hanc rem, praeclare disseruerunt F. A. KRUMMACHER (*) et J. J. HESZ (†) nobis quidem sufficit, illud strictim indicasse.

An-

(*) In libro: *über den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte* u. s. w. §§ in primis 217 et 218.

(†) *Over de Leer, Daden en Lotgevallen onzes Heeren*, Afd. VI. p. 213 et 216. In primis quoque legantur, quae disseruit R. EYLERT, in lib. cui titulus *Homilien über die Parabeln Jesu*, praef. p. 10. seqq. "*Alle Belehrungen Jesu*" inquit "*besonders seine Parabeln, in ihren Haupt- und Nebenbegriffen, drehen sich um diese erhabene Idee eines Reiches Gottes, eines Himmelreiches, als ihren eigentlichen festen Angel- und Centralpunkt*" et quae deinceps ibi sequuntur: et pag. XVII. "*Um sie (die Idee eines Reiches Gottes) bewegen sich ganz vorzüglich die Parabeln, als um ihre erleuchtende und erwärmende Sonne. Nicht diese oder jene Wahrheit wollen sie einzeln oder abgerissen lehren, nein Gott, der Vater des Weltalls, Jesus sein Sprecher und Repraesentant; das Evangelium das Gesetzbuch; diese Erde eine Bildungsschule für die Ewigkeit; alle edle Menschen in einem Bunde, für einen groszen heiligen Hauptzweck, das sind die fruchtbaren Ideen, die,*

un-

Ante hos decem annos, haec jam erant conſcripta, cum nuper nobis in manus venit, doctiſſ. VAN LIMBURG-BROUWERI, *Spec. acad. de Parabb. J. C.* egregie, ut nobis quidem videtur, conſcriptum. In quo libro, inde a pag. 62—78. vir doctiſſ. KRUMMACHERI, elegantis doctrinae viri, de *univerſo* Jeſu, in adhibendis parabolis, conſilio, ſententiam refutare conatus est. Quamvis autem largimur doctiſſ. VAN LIMBURG-BROUWERO, parabolas omnes, quibus uſus est Jeſus, ſpeciatim quoque illas, quas narrat Matth. capp. XXI. 28—30. 33—40. et XXII. 1. ſeqq. coll. locis paralelis, non eo praecipue conſilio traditas esſe, ut propagationis regni Divini curſum depingerent, (pag. 61) neque Servatorem nostrum eas adhibuisſe, eum tantum in finem, ut Apostoli ſoli, ii ſaltem prae caeteris, admonerentur de regni Divini fatis et ipſorum, in munere obeundo, officiis; (pag. 63. coll. 67.) in eo tamen, a doctiſſ. viri ſententiâ discedere, nobis liceat, quod ſtatuamus, omnes omnino Jeſu parabolas, eas quoque, quas in ſuam ſententiam citavit vir doctiſſ., arcto, cum doctrinâ de reg-

„ *unter ſtets neuen Modificationen und Schattirungen, den* „ *belebenden Geist der Parabeln ausmachen. Will man* „ *das Characteriſtiſche derſelben kennen lernen, ſo muſz* „ *man ſie aus dieſem Geſichtspuncte faſſen, und beurtheilen.*

regno Messiae seu Dei, vinculo contineri et quae tandem occasio, quaeve opportunitas fuerit earum proponendarum; sive dictae sint coram hominum vulgo; seu discipulis interioris admissionis tantum expositae; seu denique in disputationibus cum Pharisaeis et Judaeorum Proceribus, ut eorum malitiam et perversitatem perstringeret, a Jesu adhibitae, omnes omnino ejusmodi esse, ut discipuli ejus, omnesque ἔχοντες ὅτα ἀκούειν, aliquid inde discere possent, quo, de genuinâ regni Messiae ratione, melius judicare possent, de ejus fatis admonerentur et de officiis, sibi, tanquam regni Divini ministris seu subditis quoque, praestandis adhortarentur. Scilicet ea fuit Servatoris nostri instituendi ratio, ut, quae ad regni Divini rationes pertinebant, non viâ ac ratione, seu, ut philosophi nunc dicere amant, *systematice* traderet; non Scholis, ut Veteres philosophi, diversas doctrinae de regno Dei partes adaptaret; sed, datâ fere occasione, ea de hujus regni vi ac naturâ disfereret, quae simul quoque *speciali* suo *consilio* congruebant; ut scilicet sive praecepta traderet δικαιοσύνης περισσεύσης πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ φαρισαίων; seu discipulorum suorum errores et praeconceptas opiniones carperet; seu adversariorum malitiam et pertinaciam perstringeret. Eadem quoque parabolarum adhibendarum fuit ratio; diversâ occasione et opportunitate, diverso quo-

quoque speciali consilio, iis usus est Jesus. Deposuit autem in his parabolis regni Divini historiam, fata, leges, praemia, civibus condonanda, poenas, adversariis infligendas caet.; ex his, discipulis suis, futuris regni Divini ministris, depromendum erat, quidquid ipsi deinceps de hujus regni naturâ ac ratione docerent; non quidem viâ ac ratione h. e. systematice, sed datâ quoque occasione, per sermones, per litteras caet. (*) Itaque omnino concedimus doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERO, quae docte monuit, *Spec laud.* pag. 66. "*Narrationes Euangelistarum historiam* „ *disciplinae Jesu non continent; continent potius historiam vitae: omnes fere, quae in iis* oc-

(*) Pertinent huc, quae disputat R. EYLERT, *lib. laud.* praef. p. XXVII. "*Bei der ersten flüchtigen Ansicht*" inquit "*scheint es zwar oft, als ob sie hie und da nicht* „ *blosz local, sondern sogar oft individuell wären; aber* „ *man darf sie nur ernst und liebend schärfer ins Auge fas-* „ *sen, und in einer sinnenden religiösen Stimmung lesen,* „ *und man wird überrascht, Wahrheiten in ihnen zu fin-* „ *den, die sie zu eingreifenden Lehren für Alle machen.* „ *Der vielseitige und doch so einfache, an fruchtbaren ge-* „ *sichtspunkten so unerschöpflich reiche Geist des Christen-* „ *thums, drückt sich in ihnen, in jedem Haupt- und Ne-* „ *benzuge aus, und in der speciellen Ansicht enthalten sie* „ *immer eine allgemeine wichtige Wahrheit.*"

„ *occurrrunt, orationes a Jesu habitae, omnia*
„ *ejus dicta et propterea etiam ejus parabolae*
„ *ipsius fatis ita sunt intertextae, ut cum illis*
„ *unum aliquod totum constituant, neque ab iis*
„ *divelli possint. Nihil fere dixit cujus causa et*
„ *occasio in ipsâ temporum auditorumque ratione*
„ *inveniri nequeant; jam enim quaestiones a po-*
„ *pulo propositae; jam Pharisaeorum aliorum-*
„ *que contumeliae; jam ipsorum apostolorum*
„ *opiniones praejudicatae et errores ansam di-*
„ *cendi ei ita dabant, ut existimandus fere sit,*
„ *illo tempore non ita locuturus fuisse, nisi ejus-*
„ *modi adfuissent dicendi occasiones* (*)*; unde*
„ *sequi mihi videtur, parabolas non consilio quo-*
„ *dam ante capto et determinato ita a Jesu e-*
„ *narratas esse, ut hodie illam, postridie aliam*
„ *de regno Divino doctrinam, systematico quo-*
„ *dam ordine, apostolis suis tradiderit.*" Quod autem, quamvis verum sit, inde tamen haud sequi mihi quidem, videtur, Servatorem non, universo quodam consilio, omnes omnino suas parabolas proponere potuisse, (salvâ tamen occasione et speciali consilio, quibus eguntur traditae), ut scilicet doctrinae quoque regni Divini partem in iis deponeret, unde deinceps discipuli integram et unice veram

(*) Vid. R. EYLERT, *lib. laud.* praef. p. XLVI. seq.

ram regni Divini doctrinam depromerent et caeteris hominibus traderent. Hoc autem est, quod volumus, de universo Jesu consilio, in tradendis parabolis suis, disserentes. Nec gratis id a nobis sumi videtur, cum universa Jesu doctrina erat *doctrina regni coelorum*. Narrat enim Matthaeus (IV. 23.) καὶ περιήγεν ὅλην τὴν Γαλιλαίαν ὁ Ἰησοῦς διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας coll. IX. 35. Luc. IV. 43. VIII. 1. — Quin ipsas illas parabolas, quas, in suam sententiam, laudat doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS, cum doctrinâ de regno Dei arcto quoque vinculo junctas esse, e contextâ, quae dicitur, oratione satis, ut nobis quidem videtur, liquet; et quidem ex ἐπιμύθιοις, quae Jesus parabolis, quae Matth. XXI. 28—30. et 33—41. leguntur, subjunxit. Priori enim loco sect. 31. Jesus addit: Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ; posteriori loco sect. 43 addit: διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς. Parabolae quoque, quam eâdem occasione cap. XXII. 1—13. proposuit Jesus, ea est ratio, ut, quid sibi vellet, facillime a Pharisaeis intelligeretur, quippe e προμύθιον: ὡμοιώθη ἡ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΤΩΝ ΟΥΡΑΝΩΝ, satis liquet, subjectum, quod dicitur, hujus parabolae esse regnum Dei, regnum Messiae. Ipsum quoque harum parabolarum argu-

mentum earum nexum cum doctrinâ de regno Dei ſatis demonſtrat. Salvo igitur ſpeciali conſilio, quo ſpectavit Pharisaeos, eorumque perverſitatem perſtringere et de poenis, quas, niſi ad meliorem redirent frugem, erant daturi, eos admonere voluit; eo quoque tendebant hae parabolae, ut discipuli ſui, qui praeſentes adſtabant, admonerentur de eo, quod, a regni Divini praemiis, non omnino excluderentur homines improbi et vitiis qualibuscunque dediti, ſed hos quoque participes fore illius felicitatis, dummodo ſinceram agerent poenitentiam, a vitiis ſuis deſiſterent et ad meliorem frugem redirent. Quod Jeſu placitum non modo a Phariſaeorum mente et cogitatione abhorrebat; ſed contrarium quoque erat opinionibus discipulorum ſuorum praeconceptis (cap. XXI. 28—30). Eadem est ratio parabolae, quae deinceps ſequitur; etenim eâ quoque admonentur Jeſu discipuli, gentem Judaicam excludendam fore a regni Mesſiani communione, ſuâ in Deum et in ipſum Mesſiam pertinaciâ, aliasque gentes ad ejus ſocietatem esſe vocandas hujusque felicitate regni beandas; admonentur porro de Mesſiâ, ſuae gentis pravitate et in eum invidentiâ, morti tradendo: quae omnia maxime erant aliena, non tantum a Judaeorum omnino omnium opinionibus, ſed in primis quoque ab ipſâ discipulorum cogitatione. De his igi-

igitur rebus erant admonendi et quidem ante, quam evenirent, ut deinceps, ipso rei eventu, in fide erga Jesum confirmarentur et in munere suo obeundo constanter versarentur. — Simili quoque modo parabola, quae sequitur (cap. XXII. 1—13.) multum valet, ad edocendos Jesu discipulos de verâ regni Messiani, seu Dei, indole. Scilicet cum haec parabola eâdem occasione et opportunitate a Jesu fuit proposita, cum duabus praecedentibus; cumque harum posteriore mentio erat facta *de filio patris-familias*, *a vinitoribus*, *quibus vineam suam elocaverat*, *peremto;* in hac autem sermo est *de rege*, *filio suo nuptias* seu potius *epulas parante*, meo quidem judicio, Servator, hac postremâ parabolâ, discipulos, quorum mens non potuit non turbari, significatione, praecedenti parabolâ, factâ, de Messiâ violentâ morte perimendo; erigere et ad certam spem excitare voluit, fore, ut fractis aliquando mortis vinculis, ad beatiorem vitam regnique majestatem eveheretur: vocandos quidem semel atque iterum adhuc esse Judaeos ad regni Messiani, felicitatisque in eo fruendae communionem; hos autem, invictâ pertinaciâ, felicitatem illam rejecturos, quin etiam legatis, divinitus ad eos missis, ipsisque adeo Jesu discipulis violentas manus injecturos, hujusque pertinaciae et in Dei Jesuque legatos violentiae poenas

daturos gravissimas. — Hac autem opportunitate gentes omnino, sine discrimine, omnes ad regni Messiani communionem et felicitatem, per Jesu legatos, vocandas esse, ipsumque illud regnum, magno civium, ecunctis gentibus, numero esse augendum. Cavendum autem esse legatis, ne credant, hos omnes, qui, e cunctis gentibus, ad regni Messiani civitatem accederent, veros ejus fore cives, ejusque felicitatis fore participes. — Quamvis enim ipsi, inter verum simulatumque regni Messiani civem, saepius dignoscere haud facile possent, fore tamen inter eos, qui civium nomen prae se ferebant, simulatores, ab ipso rege ejusque filio Messiâ, a veris regni Messiani civibus omnino distinguendos, quique propterea a futurâ hujus regni felicitate arcerentur et similes cum ejus adversariis poenas daturi essent. Ut autem ipsi quoque, quantum, pro ipsorum tenuitate cognitionis, fieri posset, hosce fucatos distinguerent cives, et regnum Messiae, quam minimum caperet detrimenti, animus illis erat advertendus ad illas, veri regni Messiani civis, veluti χαρακτῆρες, quos, in initio praeclarae illius, quae dicitur, orationis Montanae, ne specie fallerentur, indicaverat. Sunt enim hae χαρακτῆρες *vestis* illa *nuptialis*, qua induti omnes omnino esse debent, quicunque, regni Messiani cives esse, felicitatisque ejus participes fie-

ficri, cupiunt. His ita explicatis, satis, opinor, in oculos incurret, quam arcto hae parabolae vinculo, cum doctrinâ de regno Messiae et munere quoque a Jesu discipulis, tanquam futuris hujus regni legatis, obeundo, contineantur. Ipse quoque VAN LIMBURG-BROUWERUS, hoc videtur sensisse, cum spec. sui pag. 71. sic disserit: "*Haud-*
„ *quaquam profecto negamus, parabolis allatis,*
„ *aliisque,* τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ *fata adumbrari,*
„ *sive procurationem divinam in administrandis*
„ *et propagandis rebus Christianis exponi; hoc*
„ *profecto sponte suâ omnibus in oculos incurret.*"
Cum autem pag. sui specim. 76. dicat: "*non om-*
„ *nino periculo vacare, si quis disciplinam para-*
„ *bolicam ad* unum *ejusmodi finem, eumque suis*
„ *numeris absolutum et veluti terminis circum-*
„ *scriptum referre velit;*" de eo non magnopere cum viro Doctissimo contendemus. Non enim hac in re est argutandum et nimiâ subtilitate, quae aliena prorsus erat a Servatoris nostri institutione, quippe cujus ratio popularis erat; quae passim de regno Messiae, per parabolas, docuit Jesus, ad ordinis systematici delineationem sunt componenda; quamvis KRUMMACHERO assentimur, in parabolicâ quoque Jesu institutione conspicuum esse progressum, quo sensim sensimque de rebus, ad Messiae regnum pertinentibus, admonerentur. In ad-

admirationem autem nos rapit ſumma eaque prorſus divina Servatoris nostri ſapientia, qui cum ſpeciali conſilio, quo, ad docendos, admonendos redarguendos et comminandos, ſive discipulos ſuos ſeu adverſarios, uſus quoque est parabolis, univerſum etiam hoc conſilium connectere potuerit, quo ſimul discipuli, futuri ejus legati, de verâ regni Mesſiae ratione, admonerentur, deque officiis, ut munere ſuo recte fungerentur, obeundis.

---

§ 9.

Quid probabiliter adhuc hac per parabolas docendi viâ ſpectaverit Jeſus?

Servator noster, cujus in docendo ſapientiam, quo propius ad ejus doctrinae, docendique rationis cognitionem accedamus, eo magis admirari atque ſuspicere cogimur, eo quoque, parabolicâ inſtituendi formâ, homines adducere velle videtur, ut e rerum naturalium contemplatione discant, quid, in rebus ad morum et animi efformationem pertinentibus, eligendum atque faciendum ſit; utque eo conſilio diligenter naturam rerum, ejusque varia adjuncta obſervent; legere discant illum veluti natu-

turae librum, omnibus omnino hominibus apertum, et interiorem, quo ad eos loquitur, sermonis sensum, intelligant; a rebus, quae sensibus objiciuntur, animum extollant ad eas res, quae mente tantum concipiuntur; neque credant, naturae illud spectaculum pulchrum, majestatisque plenum eorum oculis caeterisque sensibus temere offerri (*).

---

§ 10.

Qua in re Servatoris sapientia, in adhibendâ institutione parabolicâ, maxime cernatur?

Nil profecto magis aptum est ad excitandam in mente nostrâ summae Servatoris nostri sapientiae admirationem, quam illa cogitatio, quod parabolae, quibus in docendo usus est, non sint opus meditationis diuturnae, sed, quod propositae sint, da-

(*) Vid. EWALD, *Blick Jesu, u. s. w.* § 5. fin. p. 18. GREGORIUS, in *Catena aurea*: "*Caelorum autem regnum*" inquit "*idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his, quae animus novit, surgat ad incognita*". Vid. *Catena 65 Patrum* BALTH. CORDERII, p. 225.

datâ semper occasione, prout hominum, quibuscum sermones conferebat, aut quibus doctrinam suam tradebat, indoles animique sensus et affectiones, praejudicataeve eorum opiniones illud flagitabant. Hoc autem adeo non obstabat harum praestantiae imaginum, ut quacunque etiam contemplentur ex parte, tam perfectae, tam praeclarae, omnibusque numeris absolutae; tam, in quod proponebantur, consilio accommodatae reperiantur; tam gratâ atque mentis quasi oculis, maxime quoque infirmis, aptâ luce, veritates sublimiores atque divinas perfundant atque illustrent; suâ mentem simplicitate ita alliciant, ut etiamsi multarum lucubrationum ac diutissimae praestantissimi ingenii exercitationis, animique sanctissimi, ut vere sunt, fructus essent, stupore tamen percellere atque in summam admirationem rapere debeant omnes τοῦς ἰχόντας ὦτα ἀκούειν (*). Pertinent huc, quae habet BERNARDUS LAMY, *Oratorii* D. J. PRESBYTER, *in commentario in Harmoniam quatuor Euangelistarum, ad Matth.* cap. XIII. sect. 9. "*Ul-*

(*) Vid. R. EYLERT jun., *Homilien über die Parabeln Jesu*, praef. p. XLVI. et L. seqq. J. J. HESZ, *lib. laud.* p. 117 et 118. et JOH. CHRISTOPH. GREYLING, *das leben Jesu von Nazareth*, Halae 1815, 8. p. 140 et 149.

"*Ultro*" inquit "*crederem, hanc a Domino parabolam seminantis ac colligentis fructum, propositam in fine triticeae messis, cum inciperent agricolae novum semen terris mandare. Etenim, ut patet ex serie rerum, quas enarrat Euangelium, hos omnes sermones habuit aliquo tempore post pentecosten. Igitur Dominum ex re praesenti et subjectâ oculis, cum cerneretur, quem fructum darent mandata terrae semina, petivit parabolam. Sic rhetores docent ex rebus sensui subjectis assumendas esse similitudines.*"

---

§ 11.

De parabolis, quae Matth. XIII. cap. occurrunt in genere.

Quamquam multi interpretes, recentiores in primis, eâ sunt opinione, parabolas, quae hoc capite a Matthaeo narrantur, tanquam eodem tempore eâdemque occasione a Jesu propositas; propter argumenti similitudinem, quamvis aliâ atque aliâ opportunitate prolatas, a Matthaeo in unum quasi corpus collectas esse; inter quos KUINOELIUM nominasse sufficiet, qui, ad confirmandam suam hac de

de re sententiam, provocat ad locum paralelum, in Lucae Euangelio, cap. XIII. 18. qui parabolas, de *grano sinapis* atque *fermento*, alio tempore propositas esse docet; nos autem horum sententiae interpretum assensum praebere haud possumus, et quidem propter rationes sequentes. — *Primo* enim inter omnes, quae hoc capite leguntur parabolas, tam arctum intercedit vinculum et naturalis quasi nexus, quod ad earum argumentum attinet, ut nonnisi ab ipso Jesu, eâdem occasione atque opportunitate, sic videantur esse prolatae, non vero a Matthaeo, propter argumenti similitudinem, quamvis aliâ atque aliâ occasione Jesus iis fuerit usus, in unam quasi orationis seriem connexae. Etenim, si, quae sentimus, dicenda sunt, septem illis parabolis, quae Matthaei. cap. XIII. continentur, *initia*, *progressus* et *consummata* τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν *perfectio* adumbrantur ac oculis veluti conspicienda proponuntur. — *Primâ* igitur parabolâ, quae legitur sect. 3—8. coll. 18—23. diversi apud diversos homines, quibus Euangelii doctrina annunciatur, hujus nuncii effectus pinguntur; alios scilicet adeo fore vecordes et mente occaecatos, ut Euangelii nuncius nullos omnino effectus, in mente eorum illustrandâ et animo a vitiorum labe purgando, habeat; alios mente quidem amplexuros Euangelii doctrinam ejusque, in promovendâ humanitate

mani generis felicitate, praeſtantiam agnituros; ita tamen animi fide atque conſtantiâ vacillaturos, ut, perſecutionis et aerumnarum, profeſſionis Euangelii cauſâ, perferendarum metu et intolerantiâ, a fide deſciscant, Euangeliique doctrinam, ut falſam renuncient; alios porro primâ quidem ſpecie asſenſum praebituros Euangelii doctrinae, ſpemque facturos, fore, ut aliquando doctrina illa in eorum animis quaſi germinet et laetos quoque emendationis et vitae, ad Euangelii normam compoſitae, fructus edat; hos autem rerum mundanarum cupiditatibus et voluptatum illecebris adeo abreptum iri, ut ne germinare quidem, nedum fructus edere doctrina Euangelii in eorum animis poſſit; alios denique non mente tantum, ſed toto animo Euangelii nuncium amplexuros et foturos, ejusque continue magis intelligendi, et praecepta ejus factis exprimendi ſtudio fore incenſos, ita ut intelligentiae et virtutis fructus in dies edant majores, modo et numero diverſos, pro uniuscujusque indole atque naturâ, caeterisque rerum opportunitatibus. *Secundâ* paraboläâ, quae narratur ſect. 24—30, Jeſus docet: inter eos, qui Euangelii nuncium acciperent, fore quoque, qui errores ſpargant, vitiisque indulgeant: quique, doctrinâ atque exemplo, alios in errorem ducere et religionis virtutisque ſtudium impe-

dire conentur; hos vero homines, ſapienti Dei conſilio, perferri atque tolerari, ad exercendam Chriſtianorum, hoc nomine dignorum, virtutem atque conſtantiam, quo clarius haec appareat atque innotescat; gravisſimas autem poenas impostores istos et facinoroſos, in alterâ vitâ, esſe ſubituros, quas quidem ipſe Mesſias ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου de ipſis ſumeret. De ejusmodi igitur hominibus, hac parabolâ, ſermo est, quales erant, in rei Chriſtianae initiis, falſi isti doctores, Judaismi in primis ſtudioſi, quorum errores et morum vitaeque rationem perverſam Apostoli, pasſim in epistolis ſuis, notant et graviter increpant; non vero de ſimulatoribus istis, qui, pietatis atque virtutis ſpeciem prae ſe ferentes, intus tamen erant impii et a verâ virtute, quae animo cernitur, a pravis etiam cupiditatibus alieno et morum integritati ſtudioſo, quam longisſime remoti. Dicuntur enim οἱ υἱοὶ τῆς πονηρᾶς, hostes igitur regni Mesſiani, qui, a veris hujus regni civibus, pro talibus quoque agnoscuntur, quamvis his immixti et regni Mesſiani civitatem profitentes. *Tertia* parabola quae legitur ſectt. 31 et 32. arcte, ut nobis quidem videtur, cum ſuperioribus est juncta. Scilicet in antecedentibus ſermo erat factus de τῷ κόσμῳ, tanquam annunciationis Euangelii theatro; longe igitur lateque, per totum terrarum orbem, ad omnes

om-

omnino gentes, doctrina Euangelii erat perferenda. Hujus autem rei persuasio admodum difficilis erat Jesu discipulis; initia enim Messiani regni adeo erant tenuia, ut vix ac ne vix quidem hominibus, multis adhuc, cum caeteris Judaeis, praeoccupatis, de regno Messiae, opinionibus turbatis; quippe cujus auguria, externâ quoque specie, fore illustria credebant, persuaderi posset, fore ut aliquando, per omnem terrarum orbem, terminos proferret et omnes, quotquot eum incolunt, gentes Euangelio fidem darent. — Hoc autem, ut ipsis persuaderet, parabolam de *semine sinapis* proponit Servator, qua, exemplo, e rerum naturâ petito, idem confirmat, quod simpliciter narraverat in antecedentibus; scilicet, utut exigua essent Messiani regni initia, certo certius tamen illud fore aliquando illustre et longe lateque imperii sui fines, Euangelii nuncio, prolaturum. Hoc autem non magis mirum cuipiam accidere debere, quam, quod, e parvulo semine, tantam succrescere fruticem viderent, quanta erat frutex τῶ οἰκωνι. Idem quoque *quartae* parabolae est consilium, ab alterâ tamen, quae mox praecedit, in eo diversae, quod in primis respiciat opinionem, de externâ specie et imperii vi, praeconceptam, quibus Judaei credebant Messiae regnum esse inaugurandum; qua opinione imbuti quoque erant Jesu

discipuli; ostendatque, Messianum regnum, quod vere ita dici possit, non splendore externo, non vi et armis victricibus, ut hujus mundi regna atque imperia, sese proditurum et in omnes partes se extensurum; sed nullâ id fieri externâ specie, at lente et ita, ut vix ac ne vix quidem, quovis tempore, animadverti queat; sed, elapso demum temporis quodam periodo, ejus incrementa appareant. Quodsi παράδοξον hoc ipsis videretur, exemplo *fermenti*, quo fuerat usus, confirmari ea, quae docuerat, videbant. Fermenti enim particulae, utut exiguae, vis atque efficacia, cum farinae satis magnâ massâ sese communicabat, quamquam non statim et simulac farinae massae indebatur; sed fiebat hoc paulatim, ut observari sentirique vix posset, nisi elapso demum aliquo tempore, quando tota farinae massa fermentata reperiretur. *Quintâ* et *sextâ* parabolâ, quamquam haud coram populi turbâ, sed in domo, quam habebat Capernaumi, discipulis suis seorsim propositâ, Servator noster, ut nobis quidem videtur, ante oculos quasi ponit, veram doctrinae de Messiano regno cognitionem, ad cujusvis quoque ordinis homines, doctos, indoctos, sapientes ac idiotas perventuram; omnes omnino hujus praestantiam doctrinae, ad veram ipsorum salutem promovendam, agnituros et summo id studio atque intentione ac-

tu-

turos, ut asſidue in ejus cognitione ac perſuaſione proficiant, et ſalutis fructus, quae cum hac cognitione ac perſuaſione connectuntur, percipiant. Doctrinam igitur de regno Mesſiae, ſeu de regno Coelesti, non fore doctrinam indoctae plebi tantum accommodatam, nec etiam doctis et litteratis hominibus unice aptam, ſed ejusmodi eam esſe, ut cujusvis ordinis homines ad ſeſe alliciat, ac, pro uniuscujusque captu et cognitionis modo, ſummâ eos afficiat laetitiâ, eorumque felicitatem promoveat. Agit igitur illa, quae continetur ſect. 44. de doctrinae regni Mesſiani cognitione et de internâ praeſtantiae ejus perſuaſione, venturâ ad homines de plebe, ad idiotas, artium et disciplinarum haud ſtudioſos, easque parum curantes; litterarum et philoſophiae nec non religionis et morum ſtudium flocci pendentes; ſuas quosque res, in hominum quidem ſocietate, agentes et exercentes; caeteras autem res, quae ad mentis animique cultum pertinent, negligentes. Inter hos autem exſtituros, qui, cum ſemel ad eorum notitiam, Euangelii nuncio, pervenerit doctrina de regno Coelesti, totâ eam mente, totò animo et cunctis viribus amplecterentur; ſummo quoque ſtudio anniterentur, ut felicitatis, quam genuinis hujus regni civibus promittit, participes evaderent; cuncta alia parvi aestimarent, dum-

modo ad regni civitatem Messiani et junctam cum eâ felicitatem admitterentur. — In hac autem, quae sectt. 45. et 46. obvia est, parabolâ Servator discipulis indicare videtur, multos item, ex his, qui sapientiae profiterentur studium, homines litteratos, artium et disciplinarum studio cultos, religionis et morum apud varias gentes doctores; veritatem tanquam pretiosam quaerentes margaritam, cognitâ ipsis, Euangelii nuncio, Messiani regni doctrinâ, talem ac tantam ejus esse praestantiam agnituros, ad hominum felicitatem promovendam, eosque ad summam, quam attingere potest humana natura, perfectionem evehendos, ut missa faciant, quae hucusque sequebantur, studia et in hujus unice studium incumbant. Quippe summam, hac doctrinâ contineri sapientiam, vere existimantes et nihil non agentes, ut in ejus mysteria penetrent, quo demum illâ veritatis luce collustrentur, illâ beëntur felicitate, quas anxie, sed frustra, saltem haud felici cum successu, suis quique litterarum, disciplinarum et philosophiae studiis, hucusque quaesivissent. Hoc autem sapienti consilio Servator discipulis suis, futuris Euangelii nunciis, praedixit et ipsâ parabolicâ formâ, qua hac opportunitate usus est, huic praedictioni fidem fecit. Discipuli enim Jesu non potuere non animadvertere plebis, in qua degerat, quamque continue do-

docuerat magister, indocilitatem; in praeconceptis, quibus addicta erat, opinionibus perseverantiam; in salutarem Jesu disciplinam odium et pervicaciam; gentium quoque superstitionem, et fervens, quo idola colebant, studium; haud quoque eos latebat Pharisaeorum et omnino gentis Judaicae doctorum superbiam et in perversis suis, de Messiano regno, opinionibus, pravisque animi cupiditatibus et vitae moribus pertinaciam; post quoque cognituri essent Graecorum in primis, Romanorumque, horum studia sequentium, philosophorum supercilium, quo quisque caeteras philosophiae disciplinas, a suo ipsius studio diversas, despiciebat ac contemnebat. Iidem quoque, eodem fastu, Messiani regni legatos ludibrio haberent, idiotas et stultos homunculos eos existimantes, omni ingenii, per artes et disciplinas, cultu, omni facundiâ, qua tantum pollebant isti philosophi, prorsus destitutos. Itaque poterant desperare de successu, quem habiturus esset Euangelii nuncius inter gentes, ad quas eum, tanquam Messiae regis legati, perferre debebant; poterant animos demittere; in annunciandâ regni coelestis doctrinâ negligentiores fieri et tandem succumbere labori. Ast illis haud esse desperandum, duabis hisce parabolis, docet Servator. E diverso enim hominum genere; è plebe indoctâ

aeque ac ex hominum genere, variâ doctrinâ et disciplinis, culto ac erudito, Messianum regnum veros nacturum cives. Itaque ipsis, quippe hujus regni legatis, id maxime incumbere, ut Euangelii nuncium, h. e. doctrinam de Messiano regno, summo, quo possent, studio, ad utrumque genus hominum perferrent. -"*Graecis enim „ juxta ac barbaris, doctis ac imperitis id de„ bebant, ut, quodcunque in ipsis esset, Euan„ gelii doctrinâ eos instituerent.*" (*) Neque plebis ardorem, neque doctorum sophismata hominum, contortasque sophistarum ratiunculas, aut dicteria quoque, quibus in Euangelii doctrinam et in ipsos ejus nuncios invehebantur, eam debere apud eos habere vim, ut non cunctis viribus et omni animi intentione iis resisterent; nam superiores ex hac pugnâ ipsos decessuros. Superest *septima* et ultima quidem hujus cap. parabola, cum duabus his superioribus, ut nobis quidem videtur, arcte juncta. Servatoris enim discipuli, cum, Euangelii nuncio, doctos, indoctos, sapientes atque idiotas in unam societatem, Christo sacram, congregarent, non eâ debebant esse opinione, cunctos hosce, cujusvis generis homines, veros ac probos regni Messiani esse cives, quamvis Christo no-

(*) Ad *Rom. I.* 14, 15.

nomen dedisſent; minime vero! fore enim inter hos mixtos cum probis improbos, ejusmodi ſcilicet homines, qui quidem civitatis, in regno Meſſiano, titulum prae ſe ferrent, haudquaquam tamen hujus regni legibus parerent. Id autem, quando deinceps, in exercendo legatorum Meſſiae ministerio, animadverterent, non conturbare eorum animos et dubitationis fluctibus exponere debebat; haud enim ſemper hanc Meſſianae civitatis rationem adeo fore imperfectam, ut in eâ veri et ſimulati cives inter ſeſe miscerentur, ſed inſtare aliquando tempus, quo ad majorem evehenda eſſent perfectionem regni Meſſiani, quae in his terris tantum fuerant, quaſi initia; et quidem ἐν τῇ συντελείᾳ τῶν αἰώνων; in hujus oeconomiae terrestris conſummatione. Tum enim, in extremo, quod ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου exercebit, judicio (vid. ſect. 41.) probos ab improbis, veros a ſimulatis civibus esſe ſecernendos; hos autem Meſſianâ civitate esſe exuendos, ſuaeque improbitatis et ſimulationis poenas esſe daturos (vidd. ſectt. 49, 50.) Videtur autem hujus argumentum parabolae idem esſe, ac illius, quam, hac ipſâ opportunitate, Servator, coram hominum turbâ, ſect. 24. ſeqq. propoſuit et ſeorſim discipulis ſuis, id rogantibus, explicuit ſectt. 37. ſeqq. Et profecto quidem multa habet utraque ſimilia. At prior non tantum

uberior est, nobisque quasi picturam ante oculos ponit magis elaboratam, ac coloribus et rebus magis insignem; sed vere quoque ea a posteriori differre, nobis quidem, videtur. Scilicet, nisi hebetiores simus, in priori sermo est, de secernendis, a civibus Messiani regni veris, ejusmodi hominibus, qui ibi notantur (sect. 42.) tanquam τὰ σκάνδαλα et τοὺς πονοῦντας τὴν ἀνομίαν; tanquam tales igitur probos τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν cives haud latentes, sed iis bene noti, quippe, quos servi, domini istius, cujus erat ager, bene, tanquam τὰ ζιζάνια, a τῷ καλῷ σπέρματι distinguebant (sect. 27.) In posteriori autem parabolâ significari mihi videntur οἱ ὑποκριταὶ et simulatores, pietatis virtutisque eximiae speciem prae se ferentes: veris regni Messiani civibus tanquam tales haud cogniti, sed externâ eos specie fallentes; quin, ob creditum eorum pietatis virtutisque studium, aestumati et magno in honore habiti. Hos autem, utut latuerint homines, haud tamen latere posse summum hominum arbitrum et regem Messiam. In extremo enim universi mundi judicio hos quoque e regno Coelesti fore secernendos, ita ut tandem ab omni pollutione pura, et integris et ab omni parte probis ac veris civibus perfecta et consummata evaderet civitas Messiana.

Ex his autem, quae huc usque de parabolis,

cap.

cap. XIII. Euangelii ſecundum Matthaeum, obviis disputavimus, ſatis quidem nobis conſtare videtur, inter omnes omnino nexum intercedere arctisſimum, et hinc, haud absque idoneâ ratione, colligi posſe, eodem tempore, eâdemque opportunitate, omnes has parabolas, aliasque multas (vid. ſect. 3. 34. Marc. IV. 13—33.) quas MATTHAEUS reticuit, quarum autem unam adhuc narravit MARCUS, a Servatore nostro esſe propoſitas. *Secundo*, gratis et absque ullâ idoneâ ratione ſumitur, non omnes, eodem die, quas hoc in cap. retulit Matthaeus, parabolas; ſed nonnullas earum alio tempore esſe dictas, et quidem propterea, quod Lucas Euang. cap. XIII. 18. parabolas, de *grano ſinapis* atque *fermento*, alio tempore propoſitas esſe docet. Cur enim Servator easdem parabolas, diverſis occaſionibus, alio item tempore, et aliis hominibus, ſaepius uſurpare non potuerit, cum conſtet ſaepius quoque eum uſum fuisſe iisdem *proverbiis*, *allegoriis*, ac *ſententiis?* Nonne idem obtinet in oratione, quae dicitur Montanâ? Plura in eâ occurrunt praecepta atque ſententiae, quae item a Marco et Lucâ memorantur. Cum autem contextam, qua apud hos Euangelistas occurrunt, orationem inſpiciamus, continuo animadvertimus, eos non loqui de oratione Montanâ, ſed praecepta nobis narrare, quae Jeſus aliâ et diver-

versâ occasione ac tempore, sive discipulis suis, sive aliis quoque hominibus tradidit. Nec mirum nobis accidat, Jesum easdem res saepius et iisdem nonnunquam verbis docuisse. Quod enim huic erat utile atque necessarium, etiam alii plerumque proficuum ac necessarium erat. Quin iidem homines per triennium illud, quo Jesus doctoris munere, inter ipsos, fungebatur, eadem audire praecepta debebant. Hinc ab uno eodemque Euangelistâ easdem sententias, plus unâ vice, relatas videmus (*). Eadem eodem jure affirmari possunt, de parabolis, quae aliâ occasione ac tempore a Marco et Luca propositae narrantur, ac in Matthaei cap. XIII. occurrunt.

Cum autem, probabili, ut nobis quidem videtur, argumento has parabolas, eâdem occasione eodemque tempore, a Servatore fuisse propositas, affirmamus, *tertio* loco non id volumus, factum hoc a Jesu fuisse eâdem orationis serie, qua cap. XIII. obvias sese nobis praebent. Ex pluribus enim, quae hâc proferebantur occasione, quaeque omnes Messiani vim regni atque rationem respiciebant, MATTHAE-

(*) Vid. Cl. J. HERINGA E. F. in libro, cui titulus: *Verklaring der Bergrede van Jesus* praemio ornato, a Soc. quae Belgice dicitur: *Tot nut van het Algemeen*, Introductionis pag. 4. fin. seq.

THAEUS eas modo memoriae prodidit, quae sufficiebant lectoribus, ut de argumento orationis parabolicae, tum temporis, a Jesu habitae, summatim judicarent. Nec alieni sumus a cogitatione, parabolam illam, quae occurrit Marci IV. cap. sectt. 26—29. eâdem opportunitate a Servatore nostro fuisse propositam, quamvis id certo definire non audeamus.

Per eum autem diem, quo parabolicâ hac instituendi ratione usus fuit Servator, per intervalla, cum ad hominum universam turbam, tum suis seorsim discipulis locutus videtur Jesus. Propositâ enim primâ de Satore parabolâ Matth. XIII. 3—9., MARCUS, loco paralelo, cap. IV. sect 10. narrat ὅτε δὲ ἐγένετο κατὰμόνας ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα τὴν παραβολήν. Itaque sumendum, Jesum factâ ad hominum, qui undique ad eum confluxerant, turbam oratione, cujus pars erat parabola de Satore, eam dimisisse; quiescendi saltem opportunitatem ei dedisse; quâ occasione ad discipulorum quaestionem respondere et parabolae de Satore argumentum iis explicare potuerit; aut factum hoc esse vesperi, cum domum jam rediisset et, rogantibus id discipulis, parabolam quoque *de Zizaniis* explicuisset, additis adhuc aliis nonnullis, quarum duas nobis exhibet Matthaeus.

Prius si statuamus, elapso aliquo temporis inter-

modo ad regni civitatem Messiani et junctam cum eâ felicitatem admitterentur. — In hac autem, quae sectt. 45. et 46. obvia est, parabolâ Servator discipulis indicare videtur, multos item, ex his, qui sapientiae profiterentur studium, homines litteratos, artium et disciplinarum studio cultos, religionis et morum apud varias gentes doctores; veritatem tanquam pretiosam quaerentes margaritam, cognitâ ipsis, Euangelii nuncio, Messiani regni doctrinâ, talem ac tantam ejus esse praestantiam agnituros, ad hominum felicitatem promovendam, eosque ad summam, quam attingere potest humana natura, perfectionem evehendos, ut missa faciant, quae hucusque sequebantur, studia et in hujus unice studium incumbant. Quippe summam, hac doctrinâ contineri sapientiam, vere existimantes et nihil non agentes, ut in ejus mysteria penetrent, quo demum illâ veritatis luce collustrentur, illâ beëntur felicitate, quas anxie, sed frustra, saltem haud felici cum successu, suis quique litterarum, disciplinarum et philosophiae studiis, hucusque quaesivissent. Hoc autem sapienti consilio Servator discipulis suis, futuris Euangelii nunciis, praedixit et ipsâ parabolicâ formâ, qua hac opportunitate usus est, huic praedictioni fidem fecit. Discipuli enim Jesu non potuere non animadvertere plebis, in qua degerat, quamque continue do-

docuerat magister, indocilitatem; in praeconceptis, quibus addicta erat, opinionibus perseverantiam; in salutarem Jesu disciplinam odium et pervicaciam; gentium quoque superstitionem, et fervens, quo idola colebant, studium; haud quoque eos latebat Pharisaeorum et omnino gentis Judaicae doctorum superbiam et in perversis suis, de Messiano regno, opinionibus, pravisque animi cupiditatibus et vitae moribus pertinaciam; post quoque cognituri essent Graecorum in primis, Romanorumque, horum studia sequentium, philosophorum supercilium, quo quisque caeteras philosophiae disciplinas, a suo ipsius studio diversas, despiciebat ac contemnebat. Iidem quoque, eodem fastu, Messiani regni legatos ludibrio haberent, idiotas et stultos homunculos eos existimantes, omni ingenii, per artes et disciplinas, cultu, omni facundiâ, qua tantum pollebant isti philosophi, prorsus destitutos. Itaque poterant desperare de successu, quem habiturus esset Euangelii nuncius inter gentes, ad quas eum, tanquam Messiae regis legati, perferre debebant; poterant animos demittere; in annunciandâ regni coelestis doctrinâ negligentiores fieri et tandem succumbere labori. Ast illis haud esse desperandum, duabis hisce parabolis, docet Servator. E diverso enim hominum genere; è plebe indoctâ

„ *wendet werden könnte. So liesze sich wohl die*
„ *Bergpredigt, als wirklich so, wie sie Matthaeus*
„ *giebt, von Christo gehalten, und als ein in*
„ *sich selbst zusammenhängendes, auch von Ihm*
„ *in diesem Zusammenhange gedachtes und*
„ *gleichzeitig gesprochenes Ganze vertheidigen,*
„ *wie unter andern im Paulusschen Commen-*
„ *tar geschehen ist. Bei den Parabeln vom Him-*
„ *melreich begab sich ebenfalls, vermöge ihres in-*
„ *nern zusammenhangs, der unmittelbare über-*
„ *gang von einer zur andern, im mündlichen Vor-*
„ *trag, sehr leicht, und natürlich von selbst.*
„ *War einmal von diesem höchst wichtigen Ge-*
„ *genstande die Rede; warum sollte er nicht aus-*
„ *führlich durchgesprochen und von mehreren*
„ *Seiten dargestellt werden? Ohnehin bemerkt*
„ *der Evangelist selbst, dasz eigentlich nur die*
„ *Parabeln Matth.* XIII. 1—23; 24—30; 31,
„ 32 *und* 33. *gleichzeitig und ununterbrochen*
„ *vorgetragen wurden; was gewisz nicht zuviel*
„ *ist. Die übrigen wurden erst, als die Jünger,*
„ *bey ihrer Zuhausekunft den Hernn um die*
„ *Erklärung der Parabel vs.* 24—30. *baten, die-*
„ *ser, vs.* 37—43. *befindlichen, Erklärung bey-*
„ *gefügt, der sie sich, als Jesus einmal veran-*
„ *lasst war, auf den vorhin öffentlich abgehan-*
„ *delten Gegenstand zurückzukommen, nun auch*

„ *sehr*

„ *sehr natürlich anschlossen.*" — vid. omnino VAN LIMBURG-BROUWERUS, *spec laud.* p. 26. seqq. et quae docte disseruit vener. B. V. WILLES in Ephemeridibus, quae Belgice inscribuntur: *Verzam. van Bijdragen, ter bevordering van Bijbelsche uitlegkunde en beoefenend Christendom* voor het jaar 1826, diatribe I. §§ 2—7.

Addamus huic nostrae disputationi brevem adhuc LAMII, Oratorii D. J. PRESBYTERI sectt. 10—17. expositionem, in *Commentario* ejus *in Harmoniam*, lib. III. cap. XVII. pag. 248. quae, nobis qualibuscunque arbitris, mentem h. l. a Servatore dictorum, succincta ratione explicat: "*Mc.* Et cum esset singularis, κατὰμόνας, *cum esset* „ *solus, sive soli cum eo essent discipuli interro-* „ *gaverunt eum*, hi, qui cum eo erant duodecim, „ *apostoli. L.* quae esset haec parabola, *quid* „ *significaret; etiam Mt.* dixerunt ei, quare in „ parabolis loqueris eis *et non uteris sermone* „ *apertiori. Mt.* qui respondens ait illis: *Mc. et* „ *L.* vobis datum est, *a patre meo* nosse *Mt.* „ mysterium regni coelorum, *arcana doctrinae* „ *Euangelicae, Mc. et L.* mysterium regni Dei. „ *Regnum coelorum et Dei idem est regnum. Ape-* „ *ruit corda vestra Deus, ut doctrinam humanae* „ *salutis, quam expono, intelligatis Mt.* illis autem, „ *omnibus populis (omni hominum turbae) non est*

„ *datum, non electi sunt à Deo: ob pertinaciam*
„ *indigni sunt. Eos non intuetur Dominus, qui*
„ *sibi viderentur sapientes, nec curarent doctri-*
„ *nam ejus, quam fastidierunt intelligere. Ergo*
„ *significat Dominus, eos, qui magni faciunt*
„ *dona Dei, locupletari novis donis, contempto-*
„ *res autem oblatae gratiae privari illo lumine,*
„ *quod illis affulserat, ut verum sit, quod vulgo*
„ *dici solet:* qui enim habet, dabitur ei, et ab-
„ undabit *et ditescet datis;* qui autem non habet
„ (*vili pendat et in suos usus non convertat*) *dona*
„ *coelestia*, et quod habet, *etiam donum quod-*
„ *cunque aliud* auferetur ab eo, *nempe rectus*
„ *sensus; ita ut velut demens in suam perniciem*
„ *postea ruat.* Ideo in parabolis loquor eis *Mc.*
„ qui foris sunt τοῖς ἔξω, *qui sunt extra familiam,*
„ *non de numero discipulorum Mc. et L.* ut vi-
„ dentes videant *et* non videant *et* audientes *Mc.*
„ audiant et *Mc. L.* non intelligant. *Parabolae*
„ *enim sive similitudines sermonem apertiorem fa-*
„ *ciunt, modo illis animus attentus adjungatur,*
„ *attentior enim fit ex ipsâ difficultate. Ideo*
„ *ipsa difficultas parabolarum illustrat sermo-*
„ *nem, quia eo animus, ubi illum percipit, ma-*
„ *gis commovetur. His inquam, qui attenti*
„ *sunt, quantum decet, parabolae sermonem*
„ *reddunt significantiorem, obscurum vero iis,*

„ *qui*

„ *qui mentem loquentis assequi non student, quales erant Judaei, in quos ergo quadrare verba Jsaiae dicit Dominus:* vident *ait ille de Judaeis, sive videre possunt et intelligere, quod audiunt, sed, quia mentem non satagunt advertere ad veram sententian mei sermonis, sive ad finem parabolarum, quae propono,* ideo *videntes non vident et audientes non intelligunt. Mc.* ne quando convertantur et dimittantur eis peccata. *Ita fit, ut non convertantur et propterea non dimittantur eis peccata. Mirum sane est Judaeos repudiasse Christum, in quem eorum suspiria; sed et id erat praedictum a prophetis, ut ipse Christus eo in loco declarat. Mt.* et adimpletur in eis prophetia Jsaiae, dicentis: auditu audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non videbitis. *Id quidem dictum apud Jsaiam de hominibus sui temporis; sed ita dictum, ut illi gererent imaginem Judaeorum, quos Dominus tunc alloquebatur, in quibus multo etiam plenius, quam in antiquis Judaeis, eadem verba implerentur. Vel sensus est: non minus jam impletur, quam olim.* Incrassatum est enim, ἐπαχύνθη, cor populi hujus, *pinguefactum; videlicet, ut cor, nimiâ pinguedine offusum, hebetatur; aut etiam suffocatur, sic mens,*

 „ *de-*

„ *deliciis ebria, hebetatur, aut etiam excaecatur. Itaque Jesaias notabat socordiam, quae ex rebus secundis nascitur.* Et oculos suos clauserunt *ergo* propriâ suâ malitiâ *excaecati, non vident*, quia non volunt videre, *ita sensus verborum apertus:* ne quando videant oculis et auribus audiant et corde intelligant et convertantur et sanem eos. *Haec omnia obfirmatae mentis in peccato* effecta sunt. *Ex eo inquam, quod cor Judaeorum esset incrassatum, non intellexerunt parabolas Christi, nec aures dociles praebuere, ut converterentur et sanarentur.*" Vidd. quae, ad harum sectionum intelligentiam, docte disseruit VAN LIMBURG-BROUWERUS, *spec. laud.* p. 122. seqq. et in primis quoque KUINOELIUS in *commentario* ad h. l. nec non, quae disputavimus ipsi, supra § 4. p. 92. fin. seqq. Conferre adhuc merentur, quae nuper disputavit vener. VAN WILLES, lib. supra laudato, diatribe I. Part. III. §§ 14—19. qui, triplex Jesu, proponendis hisce parabolis, fuisse consilium, multâ cum verisimilitudine, demonstrare conatus fuit. Et *primum* quidem, ne vulgus Judaeorum ad seditiosa et turbulenta conamina incitaret, *secundum*, ut simultatem quamcunque vel offensionem, quam ex apertâ regni Coelestis doctrinae declaratione, contra sese susciperent, Judaei, impe-

pediret et Pharisaeis, odio eum prosequentibus, arma quasi e manibus extorqueret, quae, ex offensione vulgi, in eum stringere possent; *tertium* atque praecipuum (§ 17.), ut Apostolis ostenderet, quanto illi, prae hominum turbâ, beneficio uterentur, ut, quandocunque, caeteris remotis, ipsi soli cum eo versarentur, explicationem ex eo quaerere possent eorum, quae deinceps in sermonibus, publice, coram hominum turbâ, habitis, obscura ipsis viderentur et illustratione indigere. Et haec fere sunt, quae de parabolarum Jesu universâ ratione ac indole observanda duximus.

PARS POSTERIOR

EXHIBENS

OBSERVATIONES,

QUAE

PARABOLARUM J. C. INTERPRETATIONEM SPECTANT.

---

§ 12.

Disputatis jam iis, quae universe parabolas Servatoris nostri spectant, progrediendum nobis erit ad eam disputationis nostrae partem, qua regulas nonnullas seu observationes potius tradere constituimus, quarum ope, ut nobis quidem videtur, parabolarum interpretatio laetior procedet atque felicior. Hoc autem non ita intelligendum, quasi ea, quae jam olim et nuperrime quoque a viris doctis egregie sunt disputata, non satis apta et, ut dicitur, suis numeris absoluta existimaremus; etenim suam cuique laudem, pro merito, tribuentes et nil prorsus huic laudi detrahere cupientes, id tantum nobis sumsimus, ut, quidquid a nobis, mente volvendis et explicandis, variâ occasione et opportunitate, parabolis, observatum est, et nostro,

tro qualicunque judicio, ad faciliorem earum interpretationem et meliorem intelligentiam facere posset, id colligeremus, et collectum, quantum id fieri posset, in ordinem quemdam redigeremus, ita, ut ab uno ad alterum aptus fieret transitus. Quodsi haud prorsus spe nostrâ destituamur, in eâ versamur opinione, viros Hermeneutices laudibus claros, quorum, cum in Academiis nostris, tum quoque, inter religionis Christianae, nostrâ in patriâ, doctores, haud exigua est copia, in hoc nostro opusculo inventuros, quod probent, etiamsi, quod cuique est integrum, in nonnullis a nobis dissentiant.

Et quis quaeso, in re tam difficili, qualis est parabolarum omnino, et earum in specie, quibus in docendo usus est Servator, interpretatio et explicatio; quis est, qui sibi persuadeat, se opus perfectum et omnibus numeris absolutum, hac in re, aut praestitisse aut praestiturum esse? Quodsi a quopiam praestari possit, tribuimus id tot praeclaris in arte Hermeneuticâ, inter nostrates, viris, tribuimus id quoque doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERO, qui, si quis alius, partes suas, ut nobis quidem videtur, egregrie absolvit. Gratulabimur autem nobis, si, virorum doctorum judicio, oleum atque operam, ut ajunt, haud prorsus perdidisse existimemur.

Cum autem viâ ac ratione nobis sit progrediendam, in hac disputationis nostrae parte, id agemus, ut *primo* colligamus ea et ordine quodam disponamus, quae *externa* vocari possint *interpretationis subsidia; deinde* ejusmodi sive regulas, seu observationes in medium proferamus, quas *interna interpretationis momenta* nominare liceat. Nec nova est haec interpretationis subsidiorum dividendi ratio, quippe qua usus jam est vener. et doctiss. STORRIUS, in doctâ suâ, de parabolis, dissertatione, *Opuscc. Vol. I. Dissert. II.* § 13. quam tamen divisionem unice ad *rem significatam*, vel doctrinam, cujus causâ parabola proposita est, adaptavit; et recte quidem, ut nobis videtur, nam ipsa narratio, quae ab interpretibus dicitur quoque *protasis*, neque externa neque interna habet specialia interpretationis praesidia; neque e contextâ, quae dicitur, oratione neque ex ἀπόδοσει, sive generali, sive speciali, lucis aliquid ei obtigit. Ut recte intelligatur narratio, ipsa per se spectari debet, et, ad ejus plenam intelligentiam, eadem interpretationis remedia adhidenda sunt, quibus utuntur interpretes, ut quamcunque historicam explicent narrationem.

Quamvis enim fictae sint hae narrationes, historicam tamen prae se ferunt formam, nec quidquam continent, quod, per rerum naturam et veri-

ritatem, fieri non posſit. Cum autem nostri non est inſtituti, univerſe tradere artem Hermeneuticam, quod ad parabolarum narrationes ſeu πρότασεις attinet, referimus ad eas interpretum regulas et obſervationes, quae ad *grammaticam*, *historicam* et vere *criticam* interpretationem ſpectant.

Cum autem a rectâ narrationis ſeu προτάσεως interpretatione, magna ex parte, pendeat rei ſignificatae intelligentia, paucas quasdam ſubjiciemus obſervationes, quae in primis hac in re animadvertendae nobis videntur.

---

§ 13.

Obſervatio I.

Nonnunquam in parabolarum Servatoris nostri narratione, ſeu προτάσει *aliquid cogitatione ſupplendum est, ut imago ſit integra ac ejus deſcriptio omnibus numeris abſoluta.* Sic v. c., in parabolae, quam proponit Servator, Matth. cap. XIII. ſect. 44. narratione, per ἀνθρωπὸν illum, qui theſaurum, in agro abſconditum, invenerat, non intelligendum ἀνθρωπὸν quemcunque, ſed ejusmodi certo hominem, qui agrum istum jam, per aliquod annorum ſpatium, ab ejus posſesſore conduxerat.

Hoc enim nisi sumamus, oritur difficultas quaedam in imaginis propositae explicatione, sc. quomodo thesaurus ille et quidem in agro absconditus inveneri potuerit? Ut enim inveniretur ager ille erat perfodiendus, quod certe nemini, nisi domino, aut ei, qui eum conduxerat licitum fuit. Similiter Matth. cap. XXII. sumendum est, invitatos ad coenam non confestim in coenaculum esse deductos, sed vestium mutandarum locum iis datum fuisse (*). Eâdem ratione Luc. cap. XIV. s. 16. sumendum est etiam, invitatos ad coenam primam hanc invitationem recepisse, alias nulla fuisset ratio, cur Dominus, sub ipsius coenae horam, servum suum, more Orientalibus consueto, misisset, ut jam invitatos iterum invitaret; nec apte dicuntur coenae celebritatem excusasse, quam tunc, cum, omni ad coenam apparatu facto, iterum a domino erant invitati (†). In parabolâ item, quae occurrit Luc. cap. XVI. sectt. 1—10. sumendum, iniquum istum dispensatorem domini sui villicos admonuisse de consilio, quo vectigal, quod quotannis domino suo solvere isti debebant, tantopere diminuebat, et convenisse cum

(*) Vid. STORRIUS, *Opuscc. acad*, Vol. I. Diss. II. § 12. p. 113.

(†) Vid. HEUMANN, in *Comment. ad* sect. 6.

cum iis, ut hujus rei gratiâ, si a munere removeretur suo, ipsum in domos reciperent suas, eique, quae ad vitam sustentandam sunt necessaria, suppeditarent. Eodem modo plures, quam duo, sumendi sunt villici, sed sufficiebat, quosdam saltim nominasse, unde luculenter satis apparuit agendi ratio dispensatoris astuta, quam et apud caeteros fuerit secutus. Nec aliena est, ab hac ratione, parabola divitis istius epulonis et pauperis Lazari, a Servatore propositâ, narrante Lucâ, Euang. cap. XVI. 19—31. In illâ enim ne verbo quidem mentio facta est de animi duritie et immisericordiâ, quâ ab Epulone isto tractatus fuerit Lazarus miser, nec etiam de summâ patientiâ, quâ extremam hic tulerit miseriam; de hujus animo a vitiis alieno, ac virtuti pietatique dedito; de fiduciâ in Deo collocatâ et de aequo, quo divitis in se misericordiam sustinuerit, animo; quae certe omnia in narratione mente sunt supplenda. Haud enim docere voluit Servator, divites quoslibet, omnino post obitum fore infelices ac miseros; nec etiam pauperes omnino fore felices ac beatos; hoc enim a summâ doctrinae Christianae quam maxime abhorret. Nam, positâ Dei justitiâ, quam omnino Pharisaei, ad quos Jesus hîc sermonem dirigit suum, agnoscebant, facile e statu beato, ad quem, statim post corporis obitum,

La-

Lazari animus migravit, ac, simili quoque ratione, e poenâ animae divitis, statim post ejus discessum, in orco inflictâ, conjicitur, quaenam utriusque fuerit, in hâc vitâ, mens agendique ratio; e descriptione quoque vitae rationis, quam secutus perhibetur dives (sect. 19.) nec non ex eo, quod Lazarus non proponatur, ut inhians cupediis, quibus quotidie indulgebant dives convivaeque ejus adulatores, sed satiari tantum cupiens alimento, canibus projici solito, (sect. 21.) utriusque diversa indoles, haud absque ratione, dijudicari possit. Ne dicam haud leve pondus huic rei accedere e ratione, quae inter utrumque intercessit; *jacuit* enim *Lazarus ad januas vestibuli divitis.* Etenim, si docere voluisset Servator, divites omnino, post hanc vitam terrestrem, fore miseros, pauperes contra beatos, haud fuisset necesse, Lazarum describi ita, ut ratio quaedam ipsum inter et epulonem intercesserit. Jam vero, cum ita describatur tamen; inde, me quidem qualicunque judice, aliquâ cum ratione colligitur, qui fuerit animus saltem istius divitis. Quod autem ad causam attinet, cur Servator hanc omiserit orationis partem, si quid tribuendum est conjecturis, eam invenisse nobis videmur in eo, *quod fere fieri solet;* divites enim libidinose ac luxuriose viventes, in pauperes duri fere et immisericordes esse solent, ut prover-

bio

bio affirmare possis: *ostende mihi divitem luxuriosum et monstrabo tibi immisericordem.* Solent etiam homines absque suâ culpâ pauperes, et summâ, ut hicce Lazarus, afflicti miseriâ, pravitati alioquin haud dediti, studiosi esse pietatis atque virtutis, et in Deo, unico quippe eorum auxilio, fiduciam collocare. Quae nostra conjectura, si quid videmus, magis quoque vero similis reperietur, considerantibus illud Servatoris nostri παραδόξον: εὐκοπώτερον ἐστι, κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος εἰσελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν (Matth. cap. XIX. s. 24. coll. Marc. cap. X. s. 24. quo posteriore loco quodammodo illud explicat Servator,) et dictum illud JACOBI, Epist. cap. II. s. 5. οὐχ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου, πλουσίους ἐν πίστει καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας.

Lubet h. l. ὡς ἐν παροδῷ addere, quae olim, ad hujus parabolae sect. 21., commentati sumus. "*Solliciti hic sunt*" inquit WOLFIUS, *in curis Philologg.* "*interpretes de genuino sensu particu-*
„ *larum* ἀλλὰ καὶ *caet. quippe quas alii ita acci-*
„ *piunt, ut canes opponi videantur Epuloni,*
„ *tanquam nihil curanti Lazarum; alii vero*
„ *sic interprepantur, ut per eas augeatur cala-*
„ *mitas pauperis hominis, quippe cui nec ipsi*
„ *canes pepercerint, qui sc. lambendo ulcera*
„ *purulenta, alioquin nullo modo curata dolo-*

„ *rem*

„ *rem miserâ hominis exacerbarint.*" (*) Et nos sane parabolam hanc, eo consilio tractaturi, ut materiem inde sumeremus sermonis sacri, pro concione habendi, de hujus sectionis vero sensu inveniendo admodum soliciti fuimus. Haud enim placere nobis potuerunt rationes, quibus interpretes difficultatem, quam in particularum ἀλλὰ καὶ propriâ, vi h. l. constituendâ sibi invenisse visi sunt, tollere conabantur. Diligenti igitur meditatione sect. 21. volventibus ac revolventibus subiit ratio, quâ *fortassis* (absit enim, quod nostro qualicunque

(*) Concedendum WOLFIO, RAPHELIUM in notis Xenophonteis, ad h. l. particulis ἀλλὰ καὶ tribuere vim αὐξήσεως, ad exemplum ERASMI SCHMIDII, quem citat, ad h. l. Observandum tamen, e WOLFII observatione haud liquere, RAPHELIUM non in eo calamitatis Lazari invenire αὔξησιν, quod ipsi canes, qui huic misero homini haud pepercerint, lingendo ejus ulcera, dolorem ejus exacerbarint, ut videri tamen posset legenti WOLFII observationem ad h. l.; sed, (quod manifeste, ex ipsius RAPHELII animadversione, apparet) αὔξησιν illam quaerendam esse in corporis miserâ valetudine, quae ad summam paupertatis miseriam accedebat, ita quidem, ut, quod de canibus, ejus ulcera lingentibus, memoratur, apta sit descriptio conditionis corporis ejus miserrimae, quâ oculis quasi subjicerentur vulnera, sanie atque sanguine plena, praesertim, cum hujus linctu, ut observat RAPHELIUS, animal istud delectari, ex historiâ constet.

que judicio confidentes, nos nodum solvisse putaremus) difficultas haec facilius tolli possint. Scilicet h. l. *ellipsis* videtur obtinere illius orationis partis, ad quam referri debet pars ista, quae cum particulis ἀλλὰ καὶ incipit. Haec autem elliptica pars, partim ex antecedentibus, partim ex subsequentibus supplenda, hâc ratione constituenda videtur: καὶ ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι, ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου OU MONON OI KUNEΣ EIΑΣΑΝ, vel MH ΔΙΕΚΩΛΥΟΝ sc. αὐτὸν χορτασθῆναι κ. τ. λ. ἀλλὰ καὶ ἐρχόμενοι κ. τ. λ. quod si sumamus, omnis difficultas non modo penitus evanescit; sed orationis quoque vis et efficacia mirum in modum augentur. Scilicet summa Lazari miseria a Servatore describitur, cum ab *extremâ* ejus *paupertate*, (πτωχὸς δὲ τις ἦν) quae maxime in eo cernebatur, quod ita premebatur fame, ut quotidie ante januas vestibuli divitis istius epulonis jaceret, exspectans, dum famuli canibus, ad januas alligatis, alimenta sua projicerent, et ipse, sumtâ aliquâ horum parte, hac ratione saturari posset; (καὶ ἐπιθυμῶν — πλουσίου) tum quoque describitur a *morbo*, quo corpus ejus misere affligebatur, quod totum scatebat ulceribus, (ἑλκόμενος) quamvis autem homo ille miserrimus ad januas jacebat, quibus egredi et intrare quotidie solebat dives iste, ut hominis ignorare miseriam minime potuerit, adeo tamen durum et immiseri-

cor-

cordem eum fuisse, e poenâ, ei, post obitum, in orco inflictâ, statuendum est, ut oculos ab hoc humanae spectaculo miseriae continue averterit, nec quidquam solatii ac levaminis vel ad extremam ejus famem cibo explendam, vel ad dolores cruciatusque corporis ejus leniendos, ei attulerit. Ad quam animi duritiem haud parum fortassis fecit perversa ista Judaeorum procerum opinio, animi elati monstrosus iste foetus; homines, suae etiam gentis cives, miserâ corporis valetudinisque conditione afflictos, omni pravitate esse pejores, quâ sibi miserias, quibus affligerentur, ut justas divinae vindictae poenas, contraxerint; quod historiae vitae Servatoris nostri gnaris vel satis notum. Quis autem animum in pectore fovet callo adeo obductum, quin sentiat summam illam orationis venustatem et dicendi efficaciam, quae est in oppositione canum, animalium rationis expertium et divitis istius epulonis? Adeo erant mansueti, ac miserâ Lazari sorte commoti adeo videbantur canes, ut non modo non eum prohiberent, quominus partem aliquam frustorum, quae ipsis erant projecta, sibi sumeret, extremam ut depelleret famem, sed et blandientes huc illuc circum corpus ulcerosum cursitarent, et, quâ parte possent, lingendo vulnera, sanie et sanguine sordida, purgarent, dolores lenirent atque adeo singulis corporis ejus miseriis,

quan-

quantum, per ipſorum naturae conditionem, liceret, ſublevandis, operam darent. Itaque, quod dives iste, propterea, quod homo et homo inſuper dives, ac ipſe Lazarus, ſuae gentis civis, et quidem ſummâ miſeriâ erat afflictus, facere debuit, at facere tamen neglexit, id fecere canes! Quantum haec faciunt ad istius epulonis duritiem animi et immiſericórdiam, ſuis coloribus, distinguendam?

Sed paucis videamus, quibus rationibus nostram hujus ſectionis interpretationem, ſuperſtruamus.

Et *primam* quidem rationem in eo invenisſe nobis viſi ſumus, quod τὰ ψίχια τὰ πίπτοντα ἀπὸ τῆς τραπέζης τινὸς ſint deſcriptio alimenti, quod canibus dabatur; vernacule diceremus: *hondenvoedſel*, *hondenſpijze*, quod vel e collatione loci Matth. XV. 27 et Marc. VII. 28. manifestum est; in quo priore loco mulier illa Cananaea, iisdem fere, ac nostro loco Jeſus, utitur verbis, mentione factâ τῶν κυναρίων, quorum alimenta ſunt τὰ ψίχια — τῶν κυρίων αὐτῶν, ſive ut habet Marcus: τῶν παιδίων. Cum igitur in eâdem orationis ſerie et in eâdem quidem ſectione *cum* τῶν ψίχιων κ. τ. λ. tum etiam τῶν κυνῶν mentio fiat, vix dubitandum videtur, quin hoc nostro loco per τὰ ψίχια τὰ πιπτόντα κ. τ. λ. intelligendum ſit alimentum, quod canibus projici ſoleat.

Altera ratio in eo vertitur, quod nullae hujus

ſectionis interpretationes, quas quidem conſulere nobis licuit, tam egregie cum totius hujus parabolae conſilio conſpirent: quin ipſa Raphelii hujus loci explicatio, quam cunctis caeteroquin praeferremus, eâ caret venustate et dicendi efficaciâ, quae huic ſectioni inest, ſi nostram ad eam adhibeamus interpretationem; praeterquam, quod ταυτολόγιας vix abſolvendus esſet Christus, ſi unice vera esſet Raphelii ſententia. Nam, ſi in his, quae de canibus dicuntur, nihil inesſet niſi deſcriptio conditionis corporis Lazari miſerrimae, equidem haud video, haec quidquam habere, quod non inesſet quoque τῷ ἡλκώμενος.

Tertiam rationem nobis ſuppeditant virorum eruditorum, qui litteris Graecis operam dedere, de *ellipſibus Graecis* animadverſiones.

Ut initio jam diximus *ellipſis*, hac ſectione, obtinet illius orationis partis, ad quam referri debet pars illa, quae cum particulis ἀλλὰ καὶ, in textu, incipit, ex antecedentibus partim, partim ex ſubſequentibus ſupplenda. Scilicet referri debent, quae particulas ἀλλὰ καὶ ſequuntur, ad orationis aliam partem, cui praemittendae ſunt particulae οὐ μόνον, de quarum ἀλλείψει affatim ſatis exemplorum collegerunt viri docti LAMB. BOS, in *Ellipſibus Graecis*, p. 417. et HOGEVEEN, *doct. particc. ling. Graec. in epi-*

epitomen redactâ a CHR. GODOFR. SCHÜTZ, ad particc. ἀλλὰ καὶ, num. I. et III.

Pars autem illa elliptica, cui praemittendae sunt particulae οὐ μόνον, partim supplenda est e subsequentibus. Scilicet subjectum, quod dicitur, orationis ex illâ repetendum est parte, quae incipit cum particc. ἀλλὰ καὶ, ut adeo post οὐ μόνον sequi debeat οἱ κύνες, cui, e nostrâ conjecturâ, subjungendum est εἴασαν vel μὴ διεκώλυον; partim vero supplenda ex antecedentibus, quatenus, post εἴασαν aut μὴ διεκώλυον, subintelligi debeat αὐτὸν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων κ. τ. λ.

Ab hujusmodi autem elliptica dicendi ratione scriptores sacros non alienos esse, luculenter satis ostendit SALOMO GLASSIUS, *Philolog. sacr.* lib. IV. Tract. II. obs. XI. XII. XIII. edit. IV. Jenae 1668. Quamquam haud diffitemur, ellipsin, quam sect. 21. nobis videmur invenisse, habere singulare quid, unde tamen haud colligi potest, conjecturam nostram omni omnino carere ratione. Nobis certe valde placeremus, si simili, per omnes partes, exemplo, nostra qualiscunque conjectura confirmari posset. (*)

---

§ 14.

(*) Forte locus, ad Galat. II. 3. ἀλλ' οὐδὲ Τίτος ὁ σὺν ἐμοὶ, Ἕλλην ὤν, ἠναγκάσθη περιτμηθῆναι, ad nostrae conjectu-

§ 14.

Obvervatio II.

Multa in parabolis Servatoris nostri occurrunt, quae minime ſpectant doctrinam parabolâ propoſitam; ſed quae faciunt tantum ad ornandam, et ſuis numeris abſolvendam, narrationem. Hujus autem rei ea est ratio, ut ipſius imaginem ve-

rae confirmationem, aliquid facere posſit. Scilicet parentheſi haec includenda esſe existimamus et elliptice dicta. Ellipſin autem ipſam e contextâ oratione ſic, vel ſimili modo ſupplendam: ἄρα οὐ μόνον τὸ εὐαγγέλιον, ὃ κηρύσσω ἐν τοῖς ἔθνεσι οἱ δοκοῦντες (ſect. 2.) ἐδοκιμάζον (ſect. 9.) ἀλλὰ ἐδε Τίτ κ. τ. λ. Nempe οἱ παρεισάκτοι Ψευδαδέλφοι (ſect 4.) ἐδέδοκ τὸς ἀδελφὸς· ὅτι ἐαν μὴ περιτέμνησθε, τῷ ἔθει Μωϋσεως, ἐ δύ σωθῆναι. Apostoli igitur et Seniores, in Synodo Hieroſ mitana, auctoribus Petro atque Jacobo, decrev μὴ τὶ δεῖν πειρασθῆναι τὸν Θεὸν, καὶ ἐπιθεῖναι ζύγον ἐπὶ τὸν τ τῶν μαθητῶν, ὃν οὔτε οἱ πατέρες αὐτῶν ὔτε αὔτοι ἰσχυσαν (cf. Actt. Apostt. XV. 10. coll. 22. ſeqq.) a Christianos e gentilibus, a Moſaicarum inſtitution ſpeciatim a circumſionis ritu, liberos esſe volue ad harum ſectionum interpretationem egregia *Interpretatio Epistolae ad Galatas;* nec no LIUS, in *Comment. ad actt. Apostt.* cap. XV mio: et Cl. v. D. PALM, in *Vers. Biblior Nott. ad Epist. ad Galat.* cap. II. ſect. 1–

veritatis hinc magis referat narratio, ſimplicitate ſuâ mentem alliciat, doctrinae quoque, parabolâ illuſtrandae intelligentiam promoveat, nec non ipſius narrationis recordationem faciliorem reddat. Spectant huc, quae disſerit: JOH. CAMERON, in τοῖς σωζομένοις p. 115. c. 2. "*In omni*" inquit "*parabolâ, ſpeciatim in parabolis Christi, hoc tenendum est, ut parabolis utamur, tanquam pictâ tabellâ, nempe, ut ne putemus, quidquid pingitur, id habere ſignificationem; ſed certum quid duntaxat, quod ut pingatur, reliqua pingi neceſſe est. Itaque reprehendenda est illa anxietas et ſollicitudo eorum, qui in parabolis Christi omnia ſtudent reſecare ad vivum, quod est non interpretari; ſed vexare et torquere parabolam.*" Recte quoque ORIGENES, *Commentt. in Matth.* cap. XIII. ſect. 47. ita disputat: ὥσπερ ἐπὶ τῶν εἰκόνων καὶ ἐπὶ τῶν ἀνδριάντων αἱ ὁμοιότητες οὐκ ἐξ ὅλων εἰσὶν ὁμοιότητες ἐκείνων πρὸς ἃ ταῦτα γίνεται, ἀλλ' ἡ μὲν ἐν ἑνὶ ἐπιπέδῳ ξύλῳ, φέρε εἰπεῖν, κηρογραφημένη εἰκὼν τῆς ἐπιφανείας μετὰ τοῦ χρώματος ἔχει τὴν ὁμοίοτητα· ἐκεῖνα γὰρ σώζει τὰς εἰσοχὰς καὶ τὰς ἐξοχὰς, ἀλλ' ἐμφασιν μόνην αὐτῶν, ἡ γὰρ κατὰ τοὺς ἀνδριάντας πλάσις τὸ μὲν κατὰ τὰς εἰσοχὰς καὶ τὰς ἐξοχὰς πειρᾶται σώζειν ὁμοίωμα, ἐκεῖνα γὰρ καὶ κατὰ τὴν χρόαν ἐὰν γὰρ καὶ κηρίνον ἐκμαγεῖον γενήται, σώζειν μὲν πειρᾶται ἀμφότερα, λεγὼ γὰρ καὶ κατὰ τὴν χρόαν καὶ κατὰ τὰς εἰσοχὰς καὶ ἐξοχὰς ἐὰν μὴν καὶ τῶν ἐν βάθει εἰκὼν ἐστιν οὕτω μοι νόει καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ὁμοιώσεων, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρα-

ῶν ὁμοιουμένῳ τινὶ, ὁμοιοῦσθαι δὲ διὰ πάντα τὰ προσόντα τῷ, εἰς ὃ ἡ ὁμοίωσις, ἀλλὰ διὰ τινα, ὧν χρήζει ὁ παραληφθεὶς λόγος.

Quam vera autem haec nostra ſit obſervatio, id ſtatim in oculos incurret, comparando inter ſeſe diverſas parumper, ejusdem parabolae, diverſorum Euangelistarum narrationes, ſive ab ipſo Servatore ſaepius, alio tempore atque aliâ occaſione, et diverſo paululum modo, ſeu nonniſi ſemel propoſita ſit, ſed diverſo ab Euangelistis modo, pro uniuscujusque memoriâ et imaginandi vi, ſalvâ tamen re, relatâ; quod tamen inquirere, non est hujus loci. Animum quaeſo advertamus ad parabolam, quam refert Matth. cap. XIII. 31. 32. coll. cum ejusdem parabolae apud Marc. cap. IV. 31. 32. et apud Luc. cap. XIII. 19. relatione. Matthaeus habet ὁ (ſc. τὸ σίνηπι) μικρότερον μὲν ἐστὶ πάντων τῶν σπερμάτων, Marcus addit: τῶν ἐπὶ τῆς γῆς, cui additamento nihil inest, quod non jam inesſet formulae a Matthaeo uſurpatae, plenius tamen eam deſcribit et conſueti ac vulgaris ſermonis ſpeciem aliquam refert. Solent enim homines fere ita ὑπερβολικῶς loqui et affirmare aut negare omnino et ab omni parte, quod tantum κατὰ τὶ intelligi debet ac nonniſi ab aliquâ parte affirmari negarive potest. Eadem ſequentium est ratio; Matth. habet ὅταν δὲ αὐξηθῇ μεῖζον τῶν λαχάνων ἐστί. Marcus plenius deſcribit: καὶ ΟΤΑΝ ΣΠΑΡΗΙ ἀναβαίνει καὶ γίνεται ΠΑΝΤΩΝ τῶν λαχάνων μεῖζων. Mattheus dein-

deinceps habet καὶ γίνεται δένδρον ΩΣΕ ΕΛΘΕΙΝ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ καὶ κατασκηνοῦν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ. Marcus alio modo hoc deſcribit: καὶ ΠΟΙΕΙ ΚΛΑΔΟΥΣ μεγάλους ΩΣΕ ΔΥΝΑΣΘΑΙ ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνοῦν. Lucas vero habet καὶ ἐγένετο εἰς δένδρον ΜΕΓΑ, καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατεσκήνωσαν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτοῦ. Posteriora haec, varie deſcripta, de coeli volucribus in ramoſis συκήποις fruticibus nidulos conficientibus, eo tantum valent, ut hujus magnitudo fruticis oculis quaſi ſubjiciatur; nil autem, ut nonnullis placuit, cum re ſignificatâ habent commune. — Conferri hîc meretur pulcra illa parabola, quae apud EZECHIELEM occurrit, cap. XXXI. Hac enim, ſive parabolâ, ſive allegoriâ Asſyriorum rex comparatur cum cedro "*altitudine ſupra omnes terrestres arbores* „ *evectâ, in tantum multiplicatis ejus ramuscu-* „ *lis, porrectâque comâ, dum ſe prae humoris* „ *abundantiâ diffundit, ut et* in ejus ſurculis om- „ nes aëriae nidulentur aves *et ſub comis omnia* „ *terrestria pariant animalia et in umbra ple-* „ *raeque omnes gentes degant.*" Mera haec est deſcriptio potentiae regis Asſyriorum, cujus regni termini longe lateque ſeſe extendebant. Nulla autem ſpecialis ſignificatio quaerenda in *avibus istis aëriis* nidulantibus in *istius cedri ſurculis.* Faciunt haec omnino ad hujus ornatum parabolae, ſeu allegoriae, quae inter V. Ti. elegantisſimas est numeranda.

Par est ratio parabolae, quam refert Matthaeus cap. XIII. 33. et Lucas Euang. cap. XIII. 21. quae hoc quoque modo proponi potuisset: ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ζύμῃ ἐγκεκρυμμένῃ κ. τ. λ. Jam vero, cum post ζύμῃ sequatur ἣν λαβοῦσα γύνη, parabola plenius describitur, eique quasi vita et lumen redditur, ita ut, auditâ narratione, utut brevissimâ, traducti quasi nobis videamur in scenam quandam domesticam. Haec autem plenior descriptio non eo valet, ut anxie quaeramus, quid intelligendum per γυναῖκα? Hac enim ratione interpretantes periculum est, ne in absurda quaeque et futilia incidamus.

In iis quoque, quae dicuntur in parabolâ, eodem cap. obviâ, inde a sect. 24. de ἐχθρῷ ἐρχομένῳ καὶ σπείροντι ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου ΕΝ ΤΩ ΙΚΑΘΕΥΔΕΙΝ ΑΝΘΡΩΠΟΥΣ, illud ἐν τῷ καθεύδειν ἀνθρώπους ad imaginis ornatum pertinet, nec aliud quidquam significat, nisi *noctu* ἐχθρὸν illum id fecisse. Scilicet, ut ipsam naturam referret imago, qua hîc utitur Jesus, opus ei erat, ut fingeret hominem illum malignum, mediâ nocte, scelus patrantem; etenim, si interdiu hoc facere voluisset, δοῦλοι isti, de quibus deinceps est sermo, id impedivissent. Ut igitur suis numeris absolveretur pictura, nocturnum tempus fingendum erat, lux atque dies quasi ei erant adimendae. Est igitur formula ἐν τῷ καθεύδειν ἀνθρώπους

noc-

noctis descriptio. Conferri hic potest locus ANACR. Od. III. 1—5. Elegans quoque ibi noctis descriptio obtinet:

Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις
Στρέφεται ὀτ' Ἄρκτος ἤδη
Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου
Μερόπων δὲ φῦλα πάντα
Κέαται κοπῷ δαμέντα
Τότ' Ἔρως ἐπιςαθεὶς μεῦ
Θυρέων ἐπόπτ' ὀχῆας (*).

Nec abhorrent, quae occurrunt Matth. cap. XVIII. 25. de *vendendis* etiam *istius Satrapae uxo-*

(*) Similis noctis descriptio apud VIRGILIUM quoque obtinet *Aeneid.* lib. VIII. 26, 27.

Nox erat; et terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:

Elegans quoque est ejusdem rei descriptio lib. IV. 522. seqq.

Nox erat; et placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, silvaeque et saeva quierant
Aequora: quum medio volvuntur sidera lapsu,
Quum tacet omnis ager: pecudes pictaeque volucres,
Quaeque lacus late liquidos, quaeque aspera dumis
Rura tenent, somno positae sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum.

Expressit autem VIRGILIUS in hac noctis descriptione APOLLONIUM RHODIUM III. 743. seqq. et IV. 1058. seqq. locis, a summo HEYNIO, laudatis.

uxore et liberis. Haec enim non pertinent ad doctrinam parabolae, ſive praecipuam eam, ſeu minus quoque praecipuam, de quo infra dicemus; ſed faciunt tantummodo ad totius ornatum orationis; magis enim imaginis venustati conſulitur, quando in fictâ narratione enumerantur quoque praecipuae peculii partes, quam ſi omnino tantum referretur, Satrapam omneque ejus peculium vendenda jusſisſe Regem. Sic enim imperfecti quid narrationi adhaereret. Quemadmodum enim perfectior foret picta tabella, in qua ficta haec historia repraeſentaretur, quando non ipſe Satrapa tantum, ſed uxor quoque ejus et liberi pingerentur in forum producti, ut venderentur, atque hinc vita quaſi efficacior et lumen redderetur picturae; ſic quoque magis abſoluta est haec fictae narrationis pars, quo majori quaſi vitâ gaudeat, moresque ejus temporis, quo res narratae evenisſe finguntur, accuratius exprimat, atque tabellae ſic ſimilis ſit bene pictae (*).

---

§ 15.

(*) Vidd. omnino STORRIUS, *Opuscc. Acadd.* Vol. I. Disſ. II. § § 15, 16. p. 124. ſeqq. CHRYSOSTOMUS, *Opp.* Tom. II. in cap. Matth. XIII. Homil. 45. et in cap. XX. Homil. 64. ubi hanc regulam tradit: ἀλλ' χρὴ πάντα τὸ

§ 15.

Obſervatio III.

Ad fictae narrationis intelligentiam in primis quoque requiritur penitior rerum Orientalium, antiquitatum ſpeciatim Hebraïcarum, cognitio; quo pertinet quoque ſcientia rationis geographicae istius regionis, quâ natus atque educatus est, ac deinceps ſuam, de regno Coelesti, doctrinam tradidit Jeſus; nec non rerum naturalium atque historiae istius, quo vixit Servator, temporis cognitio. Quod quidem exemplis aliquot illuſtrare co-

ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸν σκόπὸν μαθόντας, δι' ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπεσθαι καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω. GLASSIUS, *Philolog. Sacr.* loc. laud. ad HERENNIUM, lib. IV. c. 104. SENECA, *Ep.* 51. GOMARUS, *Opp.* Tom. I. P. I. p. 104 et 105. quamquam exemplum, quod citat auctor, e Matth. cap. XIII. 44. nostro qualicunque judicio, huc non pertineat, cum omnino occultatio ista thesauri inventi ſuam habeat ſignificationem, aeque ac Luc. XVI. iniqui istius dispenſatoris agendi ratio non careat ſignificatione, licet haec tantum referenda ſit ad unam eam doctrinam ſectt. 8, 9. propoſitam. Conſulantur quoque, quae occurrunt in WERENFELSII, *Opuscc. Theoll.* caet. Tom. II. Edit. tert. p. 352. cujus viri verba non posſum, quin, h. l. transſcribam: "*Quid igitur? inquies; an igitur circumſtantiae quaedam in iis inutiles ſunt et ſuperfluae*

conabimur. Et primum quidem nobis exemplum exhibebit parabola, quam Jesus, referente Matth. Euang. cap. XIII. 3—8. coll. Marc. IV. 1—8. et Luc. VIII. 5—8. proposuit: *de Satore* in agro suo semen spargente. Mirum quippe ac vix credibile videri cuipiam posset, quod ibi de diverso cum sterilitatis, tum etiam fertilitatis genere, in uno

„ *fluae?* R. 1. *Non propterae superfluae sunt, si nullum ali-*
„ *um sensum admittere dicuntur, quam, qui aliquem ad*
„ *communem parabolae scopum respectum et relationem ha-*
„ *bet.* 2. *Licet non existimemus quamlibet parabolae cir-*
„ *cumstantiam peculiarem habere significationem, illas prop-*
„ *terea non vanas et inutiles esse credimus; faciunt enim*
„ *ad parabolarum non modo elegantiam; sed ad earum*
„ *etiam naturam, quae haec est, ut narrentur cum qui-*
„ *busdam circumstantiis, alioquin enim narrationum histo-*
„ *ricarum speciem non haberent. Jam vero si hae ex natu-*
„ *râ suâ circumstantiis vestitae esse debent, nulla peculiaris*
„ *significatio in hoc quaerenda est, quod potius cum his,*
„ *quam cum aliis circumstantiis narrentur. Ita in ritibus*
„ *et caerimoniis, mysterium aliquod significantibus, non om-*
„ *nia significativa necessario statuenda sunt, cum multa*
„ *fiant propter decorum et elegantiam, quemadmodum eti-*
„ *am in pulcris aedificiis non omnia peculiarem usum ha-*
„ *bent, quaedam ornatus et symmetriae causâ sunt addita.*"
Vidd. adhuc J. LUBLINK DEN JONGEN, *lib. et loc. laud.* p. 215. "*In eene gelijkenis*" inquit "*is het niet volstrekt*
„ *noodzakelijk, dat de vergeleken zaak met de natuurlijke*
„ *volmaakt in alles overeenkome*" et quae ibi sequuntur.

uno eodemque agro, narrat Jesus. Quae res, nisi ipsa rerum naturâ, tanquam fundamento suo, niteretur, neque cum ipsâ rei veritate, prouti sensibus conspiciendam sese praebet, exactâ similitudine congrueret, ipsa parabolae πρότασις seu narratio praecipuo suo charactere, veritate scilicet, careret, parumque virtutis haberet, ad probandam eam rem, quam, parabolicâ narratione, proponere ac auditorum oculis quasi conspicuam reddere voluit Servator. Hanc autem rem mirari desinet, qui, ex itinerariis et geographicis libris, regionis Palaestinae seu Syriae rationem cognoverit. Is scilicet norit, regionem istam montibus saxosis ac rupibus arduis esse consitam, quibus passim valles cinguntur. Jam vero cognoscet (nisi rei agrariae plane sit rudis) quomodo fieri possit, ut in uno eodemque agro tanta soli varietas reperiatur. Fingendus enim nobis est hujusmodi ager, qui montis alicujus saxosi radicibus adjacet, non aequali ubique solo, sed pendens ac declivis. Ager igitur ille eâ, qua maxime surgit, parte minus deprehenditur fertilis, quam aliâ, depressiore magis. In altiori enim parte humus, qua tegitur saxum, sensim sensimque evadet exilior ac prorsus tandem evanescet. Contra in inferiori agri parte humi stratum, quo teguntur saxa, magis magisque increscet, quo propius ad convallem accedat

ager.

ager. In hujusmodi igitur agro magnam soli diversitatem ac diversos fertilitatis gradus repertum iri, quisque facile intelliget. Ponamus porro, per agrum istum semitam decurrere aut ipsum agrum, sive in inferiore, sive in superiore parte, adjacere alicui viae, continuis hominum jumentorumque itineribus, tritae, quod fieri omnino per se possit in ejusmodi regionibus, quales sunt Syria atque Palaestina, tum nil prorsus in hac Servatoris nostri narratione deprehendetur, quod a veritate sit alienum. Mihi quidem non possum non persuadere, Servatorem ad maris littus in naviculo sedentem, cum parabolam hanc hominum turbae, in littore congregatae, proponeret, in conspectu habuisse montem, mari prope adjacentem, ad cujus radicem vidit hominem, semen in agro spargentem, ac alios quosdam, qui per viam, quae sive per ipsum decurrebat agrum, seu fines ejus stringebat, ingrediebantur, digitoque illuc monstrasse, ut attentiores redderet auditores ac, per simplicissimam imaginem, viam sibi ad eorum animos pararet.

Alterum exemplum nobis erit parabola, quam refert quoque Matthaeus, cap. XVIII. 23—35. Quae enim ibi narrantur, de rege jubente, ut Satrapa, qui solvere ei tributum non poterat, simul cum uxore ac liberis et omnibus suis bonis ven-

venderetur, ut hac ratione debitum, quantum posset, solveret, referri haec debent ad jus, quod Servatoris nostri tempore, Orientalibus erat in usu (*). Quantum autem hujus rei ratio valeat ad rectam parabolae intelligentiam et perversam ejus interpretationem evitandam apparebit ex iis, quae deinceps adhuc dicturi sumus. Idem quoque valet de sectt. 30. 34.

Simili modo, quae narrantur in parabola Matth. XXV. 1—12. obviâ: *de decem puellis, cum lampadibus accensis, sponso obviam ituris*, illustrari debent e consuetudine Orientalium, in festis nuptialibus. Porro, quae occurrunt Matth. XIII. 31. de κόκκῳ σινάπεως γινόμενῳ δένδρον κ. τ. λ. Luc. XV. 16. de κεράτιοις, *quibus famem depellere cupiebat filius iste prodigus*; de *festo, quod, reverso filio, pater instituit*, sectt. 22—24; de *homine divite* ἐνδεδυμένῳ πορφύραν καὶ βύσσον; de πυλῶνι, *ad quam jacuit Lazarus pauper*; de κόλποις Ἀβραμ, cap. XVI. 19, 20. 22, 23; de *patre familias, in forum exeunte, ad conducendos operarios in vineam suam*, ac de δηνάριῳ, *quo, in singulos dies, cum ipsis pactus est*, Matth. XX. 1—7. de ἀνθρώπῳ ἀγοραζοντι τὸν ἀγρον, ἐν ᾧ εὗρε θησαυρον κεκρυμμένον, de quo GROTIUS ad h. l. "*videtur* „ *ju-*

(*) Vid. MICHAELIS, *in jure Mosaico*, III. § 149. p. 58. et 2 Regg. IV. 1.

„ *jure Hebraeo thesauri proprietas agri dominum* „ *secuta*," et alia bene multa. Haec unice e rerum Orientalium ratione illustrantur. Speciatim autem huc pertinent, quae universe de Antiquitatis usu, in N. T. interpretatione disserunt: J. AUG. ERNESTI, *Instit. Interp. N. T.* §§ 36, 37. 59, 60. 106. seqq. et post eum JO. SAL. SEMLERUS, in *apparatu ad liberalem N. T. Interp.* §§ 51. 55. CAR. AUG. THEOPH. KEILII, *Elementa Hermeneutices* N. T. latine reddita a CHRIST. AUG. GODOFR. EMMERLING, §§ 12—16.

---

§ 16.

Observatio IV.

Quamquam *Parabolarum Servatoris nostri imagines* plerumque e rerum naturâ seu quoque e communis vitae usu ductae sunt, nec quidquam, quod a rerum usu et experientiâ abhorreat, continent, ut Graecorum Romanorumque fabulae; *nonnullae* tamen *in eo a consueto recedunt ordine, ut*, ubi ipsa institutionis ratio atque consilium id postulare videatur, *ipsis his imaginibus immisceantur notiones quaedam*, non quidem e rerum naturâ et experientiâ haustae, sed *petitae illae e per-*

perfectâ rerum coelestium cognitione, qua gaudebat Servator, Divinae socius naturae; ad quam attingere caeterorum hominum mens, ipsa per sese, nequit, quippe experientiae terminis circumscripta, quam praebet rerum in hoc orbe naturalium contemplatio. Tantum autem abest, ut parabolarum dignitati inde vel minimum decedat, ut hac potius ratione doctrinae maxime sublimes et longissime ab experientiâ hominum remota placita, non proponantur modo, sed etiam confirmentur, quin summa Servatoris sapientia inde elucescat. Utut autem hae notiones a communi hominum experientiâ erant remotae, ita tamen jam inhaerebant auditorum, qui ad Jesum confluebant, animis, revelatione per Dei ministros, Mosen et Prophetas, ad Israëlis posteros, factâ, ut per eos non novam quandam doctrinam traderet Servator, sed, quod illi divinâ docuerant auctoritate, quod antiquâ gentis historiâ nitebatur, id modo confirmaret, in suum consilium adhiberet, et magis etiam illustraret.

Primum hujus rei exemplum nobis praebet parabolae, quae occurrit Luc. XII. 16—21., illa pars, quae continetur sect. 20. quo loco Deus avaro isto, qui unice colligendis et accumulandis facultatibus suis inhiabat, ut tandem haberet, unde tranquille, ab omnibus curis vacuus, et laute

laeteque viveret, dixisse dicitur: ἄφρων, ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὴν ψυχήν σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ· ἃ δὲ ἡτοίμασας τίνι ἔσται; Insunt autem huic narrationis parabolicae parti notiones, Israelitis, e scriptis eorum sacris, haud incognitae: *diversam* sc. *esse a corpore animam; — corporis morte illam ex hoc secedere; — Deo summum vitae necisque esse arbitrium*, et, *quo quisque tempore moriturus sit, ab eo definiri.* Quae posterior notio confirmata quoque erat exemplo regis Hiskiae, cujus vitae cursui, ob eximiam in Deum pietatem, quindecim anni a Deo fuerant additi; nec non aliorum regum Israëlitarum exemplis, quorum necem Prophetae, jussu Jehovae, eorum impietatis ergo, antequam eveniret, accurate praefiniverunt.

Alterum exemplum est, quod in parabolâ de *Divite et Lazaro*, Luc. XVI. inde a sect. 22—31. legitur. His, quae ibi narrantur, insunt notiones: *de animâ, post corporis mortem, superstite* et *mox, corporis obitu, praemiis ante actae vitae ornandâ seu poenis affligendâ; de angelorum; naturâ suâ hominibus praecellentium, existentiâ, et ministerio, quod piorum inprimis animis defunctorum praebent; de omnis aevi piis in unâ societate victuris; de felicitatis piorum conscientiâ, quam impii, in miserrimâ suâ, in alterâ vitâ, conditione, habent;* denique *fieri non posse, ut, qui semel, suae im-*

pie-

pietatis culpâ, ad miſerrimam, in vitâ futurâ, conditionem ſit detruſus, unquam ad eum felicitatis beatitudinisque ſtatum evehatur, quo fruentur pii. Hae autem notiones Judaeis, e Moſis Prophetarumque ſcriptis, erant tritae; ſed confirmat eos, hac ſuâ parabolâ, Jeſus, atque in ſuum peculiare conſilium adhibet. Quod autem attinet ad *Angelorum exiſtentiam*, quamvis hujus rei certa perſuaſio remota est a communi hominum experientiâ; habebant tamen Judaei, in Patriarcharum ſuorum historiâ, plurima exempla, unde apparebat, Angelos ſaepius apparuisſe piis, cum iisque Jehovae voluntatem conſiliaque communicasſe.

Hoc unum adhuc animadvertendum puto, ea omnia, quae a Servatore ἀνθρωποπαθῶς de Deo rebusque divinis in parabolis traduntur atque ad captum vulgi, quod ſenſibus regitur, proponuntur, plerumque, ut nunc quoque vulgo fit, *proprie* ab hoc fuisſe intellecta, ut adeo imaginem rerum divinarum, pro rebus ipſis, amplecteretur, γράμματι, ut ita dicam, adhaerens, πνεύματι neglecto.

---

§ 17.

Obſervatio V.

Ad veram parabolarum intelligentiam multum quoque conducit *rerum naturalium cognitio.* Huc

quoque valent, quae Auctor ad HERENNIUM, lib. IV. c. 104. de iis disserit, quae requiruntur in eo, qui, cum facilitate quadam, cum similibus, tum collationibus velit uti. "*Sed inventio*" inquit "*similium facilis erit, si quis sibi omnes res animatas et inanimatas, mutas et loquentes, feras et mansuetas, terrestres et coelestes et maritimas, artificio, casu, naturâ comparatas, usitatas atque inusitatas frequentes ante oculos poterit ponere et ex his aliquam venari similitudinem, quae aut ornare, aut docere, aut apertiorem rem facere, aut ante oculos ponere possit,*" quae quidem omnia, eum omnino ornant SS. litterarum interpretem, ita in primis aditum ei praebent, ad percipiendam Jesu mentem, parabolis explicatam; et exilis prorsus ac tenuis erit eorum interpretandi ratio, quorum mens harum rerum rudis est, quorumque animus rerum naturalium contemplatione ac perscrutatione vel omnino non, vel parum admodum, afficitur.

Et haec fere sunt, quae ad προτάσεως seu *fictae* ipsius *narrationis* rectam intelligentiam monenda duximus.

---

§ 18.

§ 18.

Jam vero transeundum est nobis ad *externa*, quod ad parabolas attinet, *interpretationis subsidia;* quam disputationis nostrae partem nonnullis quoque observationibus absolvemus, ordine qualicunque dispositis.

---

§ 19.

Observatio VI.

Cum ea sit parabolarum ratio atque indoles, ut arcto cum doctrinâ de regno Coelesti vinculo contineantur (*), *primum* inde interpretationis praesidium hauriendum est. Omnes enim, quotquot in

(*) STORRIUM quoque ab hac nostrâ opinione non fuisse alienum, nobis persuademus. Is enim in diatribe, *de Parabolis J. C.* saepius memoratâ p. 101. post alia. " *Is enim*" (sc. Jesus) inquit" *pro muneris sui ratione non* „ *generalem quamque, sed eas proprie doctrinas spectare* „ *consuevit, quae ad Deum resque divinas spectant.*" Et p. 95. nota 14. differentiam, quae dicitur, specificam parabolarum Jesu ea in re ponit vir doctiss: "*ut non* mo- „ ralem quamcunque *sed nominatim* divinitus traditam „ *doctrinam significare videatur.*"

in Euangelistarum ſcriptis occurrunt, parabolae, quamvis datâ ſemper occaſione et ſpeciali conſilio a Jeſu narratae, aliquam tamen univerſae de regno Coelesti doctrinae partem quaſi ante oculos ponunt, et referendae ſunt, ſive ad hujus regni placita, vel potius principia, quibus, ſuo quaſi fundamento, nitatur; ſeu ad ejus, per ſeculorum decurſum, fata; ſeu quoque ad leges, quibus obtemperare neceſſe est, quicunque hujus regni ſubditi esſe velint, et praemiis, quae, in hac et alterâ vitâ, hisce, veris ſcilicet et integris, proponantur, ornari cupiant caet. Quicunque igitur ad earum interpretationem accedens N. T. interpres, ſtatim habet, quo in interpretando nitatur; nec anxie ei inquirendum est, quo univerſum parabolarum ſpectet argumentum; ſed investigandum et ſtudioſe ei indagandum est, ad quam hujus univerſi argumenti partem quaevis parabola ſit referenda. Et univerſum hoc quidem argumentum, ex univerſâ parabolarum indole, qua cum doctrinâ regni Mesſiani arcte ſunt junctae, ductum, comparari potest cum duce, qui quidem ad alicujus, in quam tendimus, regionis fines nos ducit; ut autem intra hos fines longius procedamus, hujusque regionis, urbium, locorum, eorumque, quae in eâ memoratu ſunt digna, accuratam notitiam acquiramus, aliis deinceps ducibus nos tradit.

§ 20.

§ 20.

Obſervatio VII.

Pertinent huc formulae: ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; οὕτως ἐστὶν ἡ β. τ. ο. quae praemittuntur plurimis Servatoris nostri parabolis, e. c. Matth. XIII. 47—50. 24—30. 31, 32, 33. 44. XX. 1—16. XXII. 1—13. XXV. 1—13. XVIII. 23—35. Marc. IV. 26—29. — Ex his enim formulis univerſe intelligimus, esſe ſimilitudinem quandam inter fictam parabolae narrationem, cui praemittuntur formulae indicatae, et regnum Coelorum, h. e. Christi Eccleſiam, ſeu oeconomiam N. T. — Res igitur comparata (generalem ἀπόδοσιν vocant) *univerſe* his formulis indicatur, ut adeo in eâ hallucinari interpres haud posſit. Cautione tamen opus est, ne hujus formulae perverſa applicatio in errorem nos ducat. Cum enim Jeſus Matth. XIII. 24. ὡμοιώθη inquit ἡ β. τ. ο. ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτοῦ, hoc ita intelligendum: *Eccleſiae Christi ſimile quid, in hoc mundo, eventurum, quod ſemini bono in agro illo*, de quo mox quaedam ſit narraturus. Non igitur urgenda est ſimilitudo inter *Christi Eccleſiam* et *Satorem*, ſed inter illam et *ſemen* et inquirendum porro, quaenam in iis, quae de ſemine praedicantur

tur et in iis, quae eveniunt aut eventura sunt in Ecclesiâ Christi, similia reperiantur. Simili ratione, cum Matth. XIII. 31. dicitur ὁμοία ἐστὶν ἡ β. τ. σ. κόκκῳ σινάπεως κ. τ. λ. haec ita intelligenda sunt: *in Ecclesiâ Christi idem eventurum est, quod animadverti potest in grano sinapis, cum in agro seminatum est.* Jam vero perscrutanda sunt similia, quae inter Christi Ecclesiam et ea intercedant, quae de grano sinapis, agro insito, praedicantur. Sic quoque, cum sect. 45. dicitur ὁμοία ἐστὶν ἡ β. τ. σ. ἀνθρώπῳ ἐμπόρῳ κ. τ. λ., non urgendum illud ἀνθρωπὸς ἔμπορος, sed quae deinceps de eo praedicantur, similitudinis inveniendae cauſâ, transferenda sunt ad Christi Ecclesiam, ut adeo hac formulâ universe tantum indicetur: *in illâ evenire, quae mercatori eveniunt, si, in quaerendis margaritis pretiosis, pretiosiorem adhuc, quam inventurum se esse speraverat, inveniat.* Itaque, nisi quis plane judicio careat, sponte videbit, ut Jesu mentem assequatur, sibi porro inquirendum esse, quid in Ecclesiâ Christi, totâ hac narratione rite consideratâ, cum mercatore; quid cum ejus studio, pretiosas inveniendi margaritas; quid cum pretiosiore illâ, quam, praeter spem, invenerat, margaritâ, et sic porro, comparari possit.

Ut denique hoc exemplo defungar, Matth. XX. 1. Jesus ὁμοία inquit ἐστὶν ἡ β. τ. ο. ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ κ. τ. λ.

cu-

cujus ſenſus est: *regnum coelorum, ſeu Christi Eccleſia ſimilis est vineae, in quam paterfamilias operarios conduxit* caet. Referri huc quoque potest, Jeſum aliquando *univerſe* rem comparatam indicare, praemittendo eam imagini propoſitae, additâ formulâ ὁμοιώσω vel interrogative τίνι ὁμοιώσω, v. c. Matth. VII. 24. ſeqq. ubi ſuos comparat *auditores* cum *aedificatore* et cap. XI. ſeqq. ubi *hominum genus, inter quod ſibi degendum erat*, comparat cum *pueris*. Utroque loco *generalis*, quae dicitur, adest ἀπόδοσις. Hac autem datâ, jam per partes inquirendum est interpreti, quibus in rebus res univerſe a Jeſu indicata, cum iis conveniat, quae de *aedificatore*, quae de *pueris* praedicantur. Ad has autem formulas, ut recte attendat, quicunque ad parabolarum accedat interpretationem, ita neceſſe est, ut, niſi rite hac in re verſetur, periculum ſit, ne Jeſu, doctori ſapientisſimo, affingat, quae longisſime ab ejus doctrinâ diſtent, et quae ne cogitare quidem mens ejus unquam potuerit (*).

Brevi adhuc indicandum videtur, quid per formulas: ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν; ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ; ἡ βασιλεία τοῦ Χριστοῦ, nostro qualicunque judicio, ſit intelligendum. Cum enim parabolae Servatoris nostri hujus

(*) Vid. COMARUS, *Opp.* Tom. I. p. 94b.

quid intenderit. Illae autem opportunitates atque occasiones cognoscuntur e *contextâ*, quae dicitur *oratione*, cujus ea est ratio, ut quo tempore, qua occasione, quibus locis atque personis et quo consilio propositae sint parabolae, illustret. Ad quam igitur si animum advertamus, plurimum saepius proficiemus, ad Jesu consilium et verum parabolae argumentum cognoscendum ac definiendum. Exemplis hoc illustrare conabimur. Et primum quidem parabola, quae occurrit Matth. XXIV. 45—51, facillime interpretatur, collatis sectionibus 1, 3, 39b, 42 et 44. unde apparet, Servatoris, hac proponendâ parabolâ, fuisse consilium, ut discipulos suos, ad sui deinceps regni propagationem, doctrinaeque Euangelii annunciationem ad omnes omnino gentes mittendos, admoneret, ut summâ fide, animi constantiâ ac intento atque alacri studio, hôc suo munere fungerentur, et pro virili id agerent, ut docendo, sancte pieque vivendo, honestoque suo exemplo, veram coelestis doctrinae cognitionem, vitae morumque emendationem, et summam, quae indissolubili his vinculo juncta est, felicitatem apud cunctos promoverent homines. Quod si segniores hac in re existerent atque tardiores; ab officio ipsi suo desciscerent; homines, quorum salus ipsis erat promovenda, non curarent, suo tantum genio indul-

dulgentes, certo at inopinato poenas eos Deo daturos esse. Haec omnia e contextâ oratione facile intelliguntur, caetera ex ipsius narrationis περικάσεσι caute ac ratione sunt explicanda. — Porro parabolae, quam narrat Lucas, Euang. cap. X. sectt. 30—35. consilium cognoscitur, collatis sectt. 25—29. et 37b, e quibus universe quidem intelligitur, Servatorem mutuam inter homines caritatem, parabolâ propositâ injungere voluisse. Quae autem specialia adhuc, de exercendâ quoque caritate erga alienigenas, erga hostes, et omnes omnino, quotquot humanae naturae sunt participes, hac parabolâ, docentur, ac speciale quoque consilium, quo notabatur legisperitorum et sacerdotum durus fere et immisericors, non tantum in alienigenas in primis etiam in Samaritanos, sed in suae quoque gentis cives animus, haec omnia ex accuratâ imaginis consideratione, collatae quoque cum oratione contextâ, qua persona indicatur, (sect. 25.) ad quam Jesus hanc orationis suae partem direxit, intelliguntur. Parabolae dein, quae occurrit Luc. XIV. sectt. 16—24. universa ratio atque consilium cognoscitur omnino e collatione sectt. 1—14. sed in specie magis, e collatione sect. 15. mentione ibi factâ de βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. Ex his igitur apparet: *primo*, parabolam in primis ad Pharisaeos legisque peritos pertinere (sect. 1, 3.): *secundo*, conjunctam

eam

eam esse cum doctrinâ de regno Dei (15.) atque hujusmodi res eâ significari, quas scire in primis intererat illorum hominum, quibuscum tum temporis mensae accumbebat. E sectione *denique* 24 in primis speciale Servatoris cognoscitur consilium, quo admonere Pharisaeorum vulgus voluit, ne negligendis et praefracte rejiciendis Coelestis regni bonis, haud obtemperando Euangelii nuncio, tandem suâ ipsorum culpâ, ab his bonis atque commodis prorsus excludantur et in summam incidant miseriam. Caetera autem, huic consilio juncta et ad regni Messiani historiam pertinentia, ex ipsâ parabolae narratione, rectâ ratione, at caute tamen, ad rem significatam sunt transferenda. Hisce opinor exemplis satis apparebit, quantum interpretationis subsidium insit contextae, quae dicitur, orationi; immo affirmare ausim, in eâ *primas* rectae interpretationis partes, quod quidem ad plurimas attinet parabolas, sitas esse, ut adeo nemo, qui hocce subsidium negligat, ad parabolarum solidam et omnibus numeris absolutam intelligentiam pervenire possit. Si quis autem ipse experiri velit, quantum in hoc subsidio sit momenti, ad parabolarum veram intelligentiam, consideret quaeso parabolas. Matth. XXI. 28—31[a]. coll. 31[b]. cum 23—27. Luc. VII. 41, 42. coll. 36—40. et 43—47. XV. 1 et 2. XVI. 1—8. coll. 8—13, 14.

Matth.

Matth. XVIII. 23—34. coll. 21, 22. 35. Luc. XVIII. 2—5. coll. 1. 6—8a. aliasque, quae e contextâ oratione, adjunctis caeteris interpretationis subsidiis, pro magnâ explicantur parte. — Vidd. KEILII *Elementa Hermeneutices N. T.* § 80. nota 6. et in primis LEONARDI BERTHOLDTI *Opuscc. Acadd.* colligente et edente G. B. WINER, *Lipsiae* 1824. comment. IV. *de oeconomo improbo*, pag. 68. seqq. et, qui ab eo, in nota, pag. 72. citantur, interpretes.

---

§ 22.

Observatio IX.

Cognoscitur quoque, quid Jesus in animo habuerit, aliquâ proponendâ parabolâ, ex additâ seu quoque praemissâ *admonitione*, *reprehensione*, *comminatione*, immiscendo quoque aliquando *proverbiali dicto*. Quae quidem interpretationis momenta ab interpretibus dicuntur προμυθία et ἐπιμυθία, cf. quoque STORRIUS, *lib. laud.* § 13. (*). Huic

(*) Vid. GLASSIUS, *Philol. Sacr.* Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V. cap. IV. KEILIUS, *lib. laud.* cap. IV. § 80. nota

Huic parabolarum generi accenseri possunt quae narrantur ab Euangelistis Matth. XVIII. 23—35. XXI. 33—46. 28—32. XXV. 1—13. Luc. VII. 41—43. coll. 44—47. X. 30—37. XII. 16—21. XIV. 28—30. 31—33. XV. 3—7. 7—10. XVI. 1—9. coll. 10—12. et Matth. XXV. 14—30. coll. 29. Aliquando quoque, mox ab initio parabolae, ejus scopus atque consilium indicatur ut Luc. XVIII. 1—8. ubi praemittitur: ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι καὶ μὴ ἐκκακεῖν et sectt. 9—14. ubi Euangelista narrat: εἶπε δὲ καὶ πρὸς τίνας τὰς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δικαίοι καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιπούς.

---

§ 23.

Observatio X.

Ad externa interpretationis parabolarum Servatoris nostri praesidia referendae in primis quoque sunt *explicationes*, quas Jesus ipse addidit nonnullis suis parabolis. Hujus rei exempla exstant Matth. XIII. 18—23. 36—43. 49, 50. XXI. 31b. 32. Quod attinet ad parabolam, cujus explicationem tradidit Jesus Matth. XIII. 18—23. ejusmodi illa erat, ut, absque ullâ omnino expli-

ca-

catione intelligi vix posset, quo illam consilio Servator proponeret et quae esset res, quae illâ, tanquam imagine, significaretur. Nam neque e nexu contextae orationis, nec ex aliquo προμύθιον aut ἐπιμύθιον, quod nonnunquam addidit Jesus; nec etiam ex indicatâ verbo re comparatâ, quid sibi vellet haec parabola, certo cognosci potuit. Ipse igitur Jesus, pro eâ, quam habuit, omnium rerum scientiâ, discipulorum de hac parabolâ dubia animadvertens, cum seorsim cum illis, de parabolicâ suâ plebis instituendi ratione, sermones conferret, ipsis parabolae, quae initio cap. XIII. traditur, sententiam explicat. Quae explicatio ita per partes procedit, ut, quamvis una praecipua res indicetur, cujus imaginem ipsa parabolae narratio repraesentat, τὴν βασιλείαν sc. τῶν οὐρανῶν, hujus rei tamen, nonnisi ea adjuncta explicentur, quae cum regni Coelestis doctrinae *annunciatione* hujusque annunciationis *diverso fructu* arcto contineantur vinculo. Eadem quoque est ratio parabolae, quae, hoc cap. sequitur sectt. 24—30. cujus explicationem, a discipulis id rogatus, dimissâ hominum turbâ, ipsis seorsim tradidit. De regno Coelesti, quod idem est ac Messiae regnum, in hac parabolâ sermonem esse, jam ipse Servator indicaverat, praemittendâ generali illâ ἀπόδοσει, quae dicitur, quae inest formulae ὁμοία ἐστὶ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

Jam vero in ipsâ parabolae explicatione 37—43. per partes procedit Servator, et quaenam sint illa declarat, quae, juncta cum τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν naturâ atque ratione, propositâ hac imagine, tradere voluerit. Hae autem nonnullarum parabolarum explicationes, speciminis instar videntur, ad cujus normam atque rationem, eas, quas deinceps in docendo, datâ opportunitate, adhuc esset traditurus explicari a discipulis suis voluit Jesus. Cum autem additae sint hae explicationes longioribus narrationibus, non item brevioribus illis exemplis, sectt. 31 et 32, 33. 44, 45, 46. indicio hoc esse videtur, Servatoris esse consilium, ut longiores in primis parabolae *per partes* accurate intelligantur et explicentur, et inde omnia, sive praecipua doctrinae de regno Coelesti capita, seu quoque ea, quae cum illis arcto vinculo sunt juncta, hauriantur, quibus illustrandis cogitatae sint atque propositae.

---

§ 24.

Observatio XI.

Ut verum nonnullarum parabolarum sensum reperiamus, *in primis quoque attendere oportet* interpretem ad *formulas* quasdam *e Judaeorum, de variis, cum regno Messiano conjunctis, rebus, senti-*

tiendi ratione petitas, iisque in harum rerum disputatione tritas. Illustremus hoc exemplis. Interpretes tantum non omnes in eâ versantur sententiâ, Matth. cap. XXIV. et XXV. de duplici Jesu παρουσία esse sermonem, alterâ conjunctâ cum excidio Hierosolymae et Templi; alterâ in hujus mundi συντελεία, conjunctâ cum omnium omnino hominum extremo judicio, quo uniuscujusque sors, sive laeta sive tristis, judice τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων determinaretur. Quae enim his capp. disserit Jesus, responsum continent ad discipulorum suorum quaestionem: πότε ταῦτα, sc. excidium templi Hierosolymitani, ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; scilicet Judaei et Jesu quoque discipuli, eorum opinionibus imbuti, Judaeorum populum, ante adventum Messiae, magnis calamitatibus affligendum esse, existimabant; nonnulli etiam templi vastationem his calamitatibus annumerabant (*). Ipsum autem Messiae adventum, summis his in calamitatibus inopinatum, conjunctum fore opinabantur cum mundi παλιγγενεσία, ipsamque urbem atque templum tum splendidiora e ruinis exstitura, quam ante eorum ex-

(*) Vid. LIGHTFOOT, *Horr. Hebrr. et Talmudd.* ad Matth. II. 1. p. 200. JOSEPH, *Antiqq.* 10. 11. 7. Vid. Michae III. 12.

excidium fuerint (*). Ad utramque igitur, cum de templi excidio, tum quoque de συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, quaestionem Jesus discipulis respondet, cap. XXIV. et XXV. In eo omnes fere conveniunt interpretes; dissentiunt autem in eo, quaenam universi hujus sermonis pars de priore Jesu παρουσίᾳ, ad templi urbisque eversionem caet.; quaenam de posteriore, ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, conjunctâ illâ cum extremo hominum judicio, agat (†). Sunt quidem plures interpretes, qui ea, quae leguntur inde a cap. XXIV. 43. usque ad XXV. 31. aeque ac ea, quae praecesserunt, ad interitum urbis et reipublicae referunt; alii autem, inter quos quoque KUINOEL, ea omnia explicant de adventu Christi ultimo et praemiis poenisque in alterâ vitâ exspectandis, quae quidem posterior sententia nobis quoque placet. Cum autem Jesus parabolis utatur,

(*) Vid. HENRICI AUGUSTI SCHOTT, *Commentarius exegetico-dogmaticus in eos J. C. sermones, qui de reditu ejus ad judicium futuro et judicandi provinciâ, ipsi demandatâ, agunt*, *Jenae* 1820. et de hujus libri argumento censor in *Archiv. für die Theol. u. s. w.* herausgeg. von Dr. E. G. BENGEL, 5ten Bandes, 2tes Stück I. p. 265. med. seqq.

(†) Vid. SCHOETTGENII, Horr. Hebrr. ad Apoc. XXI. 1, 2, 19. 24. et KUINOEL, ad Matth. XVI. 27.

tur, quibus hanc institutionis suae partem quasi involvit, ad veram earum sententiam constituendam necesse est, ut videamus, an habeant quoque ejusmodi notas, quibus ratione effici queat, eas non quidem ad priorem, sed potius ad posteriorem Jesu παρουσίαν esse referendas; quod eo magis nobis agendum est, cum e contextâ, quae dicitur, oratione plura pro priore sententiâ et quidem aliquâ cum specie dici possent et ab interpretibus quoque dicta sint. Itaque animus advertendus ad varias harumpara bolarum formulas et accurate inquirendum, num ejusmodi sint, ut a Judaeis, in descriptione, cum felicitatis in Messiae regno exspectandae, tum miseriae, ejus adversariis infligendae, usurpari soleant, ad quam eorum cogitandi rationem fere accommodare sese solebat Jesus. Quae ratio si a nobis instituatur, occurrunt in his parabolis ejusmodi formulae, quae nonnisi ad posteriorem Jesu παρουσίαν, quâ veri ejus cultores, h. e. regni Messiani cives integri praemiis ornabuntur, hostes autem ejus et improbitatis studiosi poenis afficientur gravissimis, referri cum ratione possunt. Ejusmodi formulae sunt, quales leguntur cap. XXIV. 48. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν; cap. XXV. 21. 23. ἐπὶ πολλῶν σὲ καταστήσω; quibuscum conferri debent, quae Jesus cap. XIX. 28. disputat de τῇ παλιγγενεσίᾳ ἐν ᾗ inquit καθίσε-

σεσθε ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ισραήλ. Sic formula ἐκεῖ ἔσται κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων cap. XXIV. 51. et XXV. 30. et τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον ibid. sunt formulae, quibus poenae improborum gravissimae, in alterâ vitâ, adumbrantur. Vidd. loca Lucae XIII. 28. Matth. VIII. 12. XIII. 42. 50. XXII. 13. Cum his locis comparari quoque possunt alia, in quibus similes de alterius felicitate vitae itemque miseriâ occurrunt formulae v. c. οὐκ οἶδα ὑμᾶς cap. XXV. 12. coll. cum Matth. VII. 23. οὐκ ἔγνων ὑμᾶς. Luc. XIII. 27. οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστε. Nec minus huc pertinent formulae εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. Matth. XXV. 21. 24. coll. cum sect. 34. δεῦτε κληρονομήσατε τὴν βασιλείαν et XIII. 43. τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Hae enim ejusmodi sunt, ut futura iis aut civium regni Messiani, h. e. proborum, felicitas aut improborum quoque miseria depingatur. Scilicet plurimae, quibus Jesus futuram suorum felicitatem, adversariorum vero calamitatem ante oculos ponere solebat, formulae derivatae fere erant a coenâ et convivio lauto; quâ imagine Judaei futuram regni Messiani felicitatem sibi repraesentare amabant. Huic rationi sese accommodans Jesus, de futurâ, in Messiae regno, gentium felicitate et Judaeorum praefractorum miseriâ, Matth. VIII. 11, 12. sic est locutus: λέγω δὲ ὑμῖν ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν

ἥξ-

ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον ἐκεῖ κ. τ. λ. Luc. XVI. dives ille epulo ὑπάρχων ἐν βασάνοις ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. vidd. etiam Luc. XIII. 28—30. XIV. 15. Matth. XXVI. 29. Universus quoque color parabolae, quae cap. XXV. 1—13. occurrit, facit, ut eam de futurâ civium Messiani regni felicitate et de adversariorum ejus miseriâ interpretemur. Comparat enim Jesus sese cum sponso, suo tempore εἰσελθόντι εἰς τοὺς γάμους, cum quo αἱ παρθένοι ἕτοιμοι εἰσῆλθον, exclusis, quae, ejus adventu, non erant paratae. Joannes quoque in Apoc. cap. XIX. 7. seqq. de vitae futurae felicitate perpetuâ disputans, hac imagine usus est: ἦλθε ὁ γάμος τοῦ ἀρνίου et ipse Jesus passim sponsi imaginem de sese adhibuit Matth. IX. 15. Joh. III. 29.

Cum igitur in illis parabolis, quae Matth. XXIV. 43 — XXV. — 30. occurrunt, ejusmodi formulis usus sit Jesus, quae ex usu loquendi Judaeorum et N. T. solenni, futuram in regno Messiae felicitatem, veris ejus civibus exspectandam, eorumque miseriam, qui hac felicitate excludantur, adumbrent, admodum probabilis est ratio, quâ hasce parabolas, de alterâ Jesu παρουσίᾳ et de felicitate ac miseriâ, in alterâ vitâ, cum civibus

regni Messiani communicandâ, tum ejus adversariis infligendâ, interpretemur; vid. A. L. C. HEYDENREICH, in *Neues Krit. Journal der Theol Litt.* III. B. IV. St. p. 417. qui nexum inter diversas, quas, inde a cap. XXIV. 43 — XXV. 30. Matthaeus narravit parabolas, ostendere conatus est, quamquam in eâ versatur sententiâ, inde a cap. XXIV. sect. 29. Servatorem jam verba facere de alterâ suâ παρουσίᾳ, ad universi mundi judicium (*); qua in re ei non assentimur, existimantes, ea omnia, quae inde a cap. XXIV. sect. 29—42. leguntur, referenda adhuc esse ad priorem Jesu παρουσίαν, ad urbis Hierosolymae excidium et Judaeorum

(*) Idem quoque probare conatur doctiss. SCHOTT, *lib. mox laud.* Vid. censor in BENGEL's *Archiv. u. s. w.* 5ten Bandes, 2tes Stück I. pag. 281. fin. seq. et 286. med. quo ultimo loco apparet, Censorem, inde a sect. 36. cap. XXIV. usque ad finem cap. XXV. Jesu sermonem de posteriori ejus παρουσίᾳ interpretari atque in eo a SCHOTTII eum sententiâ discedere, quod is jam inde a sect. 27. cap. XXIV. Jesu sermonem ad posterioris ejus παρουσίας delineationem transire existimet. Vid. ad SCHOTTII sententiam auctor libri: *Verhandeling over Jesus laatste toekomst*, Delft, 1826. § 1. p. 10. fin. et 11. in nota, et § 36—40. p. 96. seqq. qui Censori, supra memorato, assentit.

orum reipublicae everſionem (*). Quod autem attinet ad epilogum illum, quem Jeſus, propoſitis a ſe parabolis, in fine cap. XXV. addit; is quidem parabolis accenſeri nequit, arcte tamen cum iis, quae praeceſſerunt est junctus. "*Scilicet* „ *indicatur hocce epilogo, quid, in extremo illo* „ *omnium hominum judicio, ſit illud, in quo* „ *rei cardo vertatur; humanitas nempe, modes-* „ *tia et caritas; moderatio in exercendis pieta-* „ *tis virtutisque officiis. Norma deſcribitur, ad* „ *quam* ὁ ἐρχόμενος *uniuscujusque hominis ſortem* „ *decernet et indicatur adeo, judicium illud ex-* „ *tremum ad univerſos pertinere et quinam ſint* „ *hujus judicii effectus. Novas igitur, a prio-* „ *ribus quidem diverſas, at vere tamen cum iis* „ *nexas admonitiones atque nova doctrinae pla-* „ *cita continet.*" Sunt haec fere verba HEYDENREICHII, *lib. locoque laud.* p. 419. a nobis Latine utcunque reddita, Vid. *Verhandeling over Jezus laatſte toekomst*, ſupra laud. § 39. p. 107.

---

§ 25.

(*) Vid. KUINOEL, in *comment.* ad Matth. XXIV. in *argum. hujus cap. explicationi*, praemisſâ et ad ejusdem cap. ſect. 43.

§ 25.

Obſervatio XII.

Aliquando Jeſus ipſi quoque parabolae narrationi immiscet brevem quandam ἀπόδοσιν, *quae* juncta caeteris interpretationis opportunitatibus ac momentis, *ad verum ejus ſenſum conſtituendum nonnihil tribuit.* Hujus rei exemplum occurrit Matth. XXI. 33—43.. Brevis nempe hujus parabolae ἀπόδοσις intertexitur quaſi, proverbialibus illis dictis, quae continentur ſectt. 42 et 44. ſumtis quidem, quod ad 42., e Pſalmo CXVIII. 22. et quod ad 44. attinet e Jeſaiae, ut videtur, cap. VIII. 14, 15.; quae vero ſectiones (42 et 44.) arcte inter ſeſe cohaerent. Hinc nonnulli interpretes male collocatam esſe ſectionem 44. eamque ſtatim debere ſubſequi ſectionem 42. existimarunt, e cc latione Luc. XX. 18. In nonnullis quoque co ſect. 44. non legitur, neque ab ORIGENE in c ment. in Matth. laudatur. Hinc quoque ali KUINOEL, in comment. ad h. l. colligunt, Lucae parallelo, haud dubie a grammaticis gine adſcriptam eam esſe et postea a librariis Matthaei textum receptam. Cum aute eam habeant codices atque verſiones vet equidem haud crediderim ex loco Lu

ſect. 44. in Matthaei textum translatam esſe. Si vero aliquid dandum est conjecturis, existimaverim potius, verba Lucae ſect. 16. ἀκούσαντες δὲ εἶπον μὴ γένοιτο haud ſuo loco esſe collocata, ſed inſerenda ea post ſect. 18. praemisſâ adhuc, e textu Matthaei, brevi illa ἀπόδοσει ſect. 43. quam omiſit quoque Marcus. Quod ſi fiat, omnis difficultas evanescit. Quod autem ſect. 44. in nonnullis Matthaei codd. non appareat, id potius nonnullorum librariorum religioni tribuerem, qui, cum apud Marcum hanc ſect. deſiderari viderent, in eam inciderunt opinionem, additam eam esſe textui Matthaei, ſeriori demum manu, quapropter eam recidendam esſe existimarunt. Mirum autem nemini accidat, Servatorem hujus parabolae brevem ἀπόδοσιν intermiscuisſe proverbialibus illis dictis, ſectt. 42 et 44., quae arcte inter ſeſe cohaerent. Nimirum Servator noster ſummam animadvertens Phariſacorum et legisperitorum pertinaciam, qua, quid ſibi vellet parabola ab ipſo propoſita, bene intelligentes, tamen (ſect. 41.) eo impudentiae procederent, ut reſponderent κακοὺς κακῶς ἀπολέσει κ. τ. λ. Servator inquam non potuit non magnopere hac re animo affici. Hinc antequam orationem, quâ uſus est, figuratam plene abſolviſset, indignabundus brevem intermiscet parabolae ἀπόδοσιν, tum vero orationem demum pertexit. Plura autem hujus ge-

generis occurrunt exempla quibus nostra, qualiscunque, sententia confirmari possit. Sic Matth. XXV. inter sectt. 28 et 30., quae arcte inter sese cohaerent, brevis inseritur parabolae, quae inde a sect. 14. usque ad 30. narratur, ἀπόδοσις. Idem obtinet in loco Lucae parallelo cap. XIX. 12—27. ubi quoque inter sect. 25 et 27. brevis parabolae ἀπόδοσις quasi intertexitur. Utraque autem parabola, quamvis multa habeat similia, attamen vere altera ab alterâ differt (*); alia atque alia opportunitate a Servatore sunt enunciatae. Quae in Euangelio Matthaei occurrit in monte Oliveti, coram duodecim Jesu discipulis, dicta est; quae in Lucae Euangelio est obvia, eam Hierichunte, in domo Zacchaei, (cap. XIX. 1—9.) proposuit Jesus. Aliud quoque alterius est *consilium*. In Matthaei loco pietatis virtutisque studium et perseverantiam discipulis commendat, eosque propositis, cum constantiae et diligentiae praemiis, tum desidiae et negligentiae poenis, admonet, ut suis quique recte utantur facultatibus et pro diversâ earum ratione et modo, eas adhibeant ad promovendam τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν i. e. reipublicae Christianae utilitatem; neque cum viderent proferri tempus, quo Mes-

(*) Vid. *Neues Krit. Journal der Theol. Litt.* herausgegeben von WINER und ENGELHARDT, III. 4. p. 420.

Messiae regnum magis illustre atque gloriosum, ut eorum ferebat opinio, appareret, animo statim deficerent, seseque desidiae atque improbitati traderent: quippe cum quibus, suo demum, attamen certo tempore, extremo nempe judicio, rationes conferret de recte an secus adhibitis, quibus eos instruxerat, mentis animique dotibus et facultatibus; quando, qui bene his fuerint usi, praemiis ornarentur; desides autem et qui suis facultatibus nil lucri fecissent, reique Christianae commoda haud promovissent, severe punirentur. In Lucae loco similis quidem parabolae aliud autem est consilium. Scilicet Servator in aedibus Zacchaei cum discipulis aliisque, e publicanis forsan, accumbens, inter alia, dixerat: (sect. 10.) *venisse Filium hominis, ut quaereret atque servaret, quae essent perdita.* Hinc accumbentium quidam, forsan ex discipulis ejus, in illam inducebantur opinionem, jam jam instare tempus, quo Messiae regnum, illustri modo, inauguraretur, multique gentiles, Judaeorum sacris initiati, Abrahamidarum genti adscriberentur, bonorumque, his in Messiae regno promissorum, fierent participes. — Hunc autem errorem, sive animo eum foverint, sive verbis protulerint, tollere voluit Jesus. Docet igitur, propositâ hac parabolâ, tempus, quo Messiae regnum magis solenniter inauguraretur, h. e.

quo

quo ejus incrementa, civium numero, constantiâ, pietate atque virtute magis forent conspicua, atque in omnium quasi oculos incurrerent; tempus illud nondum instare; neque eo consilio se jam Hierosolymam iter suum dirigere. Tecte autem et subobscure innuit, antequam regni Messiani incrementa magis conspicua forent, atque in majus continue augescerent, hinc sibi esse proficiscendum. Judaeorum interim gentem, odio atque invidiâ, quibus in eum flagrabant, se Messiam quam pertinacissime rejecturam, neque legibus Messiani regni obtemperaturam. Absens autem cum foret, eo nempe consilio, ut regni sui rebus prospiceret, ejusque capessendi potestatem nancisceretur, discipulis, quos relicturus, quibusque sui regni initia et quasi fundamenta servanda, tuenda atque promovenda traditurus erat, fidem, constantiam, diligentiam, pietatem, virtutemque omnem commendat, eosque hortatur, ut quisque, pro suâ facultate, qua eos instruxerat, regni sui commoda atque emolumenta fideliter promoveret. Etenim, suo ipsum tempore, magis solenniter regnum suum inauguraturum; tum se discipulos suos probatos, pro suâ quemque fide, atque constantiâ, studioque regni ejus promovendi, adhibitis, quibus instructi fuerant, dotibus atque facultatibus, praemiis ornaturum, praeficiendo eos

sui

fui regni h. e. Ecclesiae parti; eos vero inter discipulos suos, qui, dum ipse absens foret, segnitiei, perfidiae atque inconstantiae sese dedissent, nec quidquam, ad regni sui commoda promovenda, contulissent, nullis ad id adhibitis facultatibus suis, a bonorum regni sui participatione omnino fore excludendos; gentem autem Judaeorum, quae obtemperare ejus legibus noluisset, seseque in ipsum ipsiusque ministros atque legatos continue seditiosa demonstrasset, eo quoque tempore, severe esse puniendam et magnâ strage affligendam. Quamvis igitur Servator, hâc parabolâ, tempus, quo ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, magis conspicua atque illustris evaderet, non definiverit, plura tamen adhuc eventura docuit, antequam illud adesset, neque adfuturum, nisi cum gentis Judaicae ingenti clade. Respexisse igitur Jesum h. l. urbis Hierosolymae excidium et Judaeorum pertinacium summam calamitatem atque stragem, apertum est.

Sed utraque parabola, de qua nobis est sermo, differt quoque *narrationis habitu atque formâ.* "Apud Matthaeum sermo est de *patre-familias*, apud Lucam de *principe;* ibi herus tradit servis rem suam, τὰ ὑπαρχόντα αὐτοῦ; accipiunt servi talenta, sed *impari distributione;* hîc particulam tantum nummorum, quos habebat princeps, nempe decem minas; totidem servi accipiunt unam quis-

quisque minam. Neque in illâ, apud Matthaeum, parabolâ commemorantur cives improbi, principem repudiantes, ab eoque propterea puniendi." Usi sumus verbis KUINOELII, quandoquidem vir ille Cl. haec ita explicuit, ut non necesse esset, nostris ipsorum verbis, eandem rem explicare. Ex hâc autem nostrâ qualicunque disputatione apparet quoque, nos tamen haud cum KUINOELIO verba, quae sect. 26, in Lucae loco, occurrunt, pro regis, quem parabola loquentem inducit, sed pro ipsius Jesu verbis habere. Post verba sect. 25. καὶ εἶπον αὐτῷ κύριε ἔχει δέκα μνᾶς, ellipticam obtinere rationem, quoque manifestum est. Facile autem haec ellipsis suppleri poterit e mox addito a Jesu proverbiali dicto sect. 26. Domini enim responsum simile fere esse debuisset proverbiali illi dicto, quod Jesus ἀπροδόκητως ἔφεκε ibi intertexuit. Possumus tamen vel sic, quae reticentur, supplere: ὁ δὲ κύριος εἶπε, ἀλλὰ καὶ δότε αὐτῷ πρὸς τὰς δέκα καὶ ταύτῃ τὴν μνᾶν. cf. quoque KUINOEL ad h. l.

---

§ 26.

Observatio XIII.

Parabolarum argumentum ut recte percipiatur, haud absque magnâ utilitate *aliae cum aliis sunt con-*

conferendae. Sic v. c. e collatione parabolae, quae legitur Luc. Euang. XVIII. 9—14. cum illâ, quam Jesus proposuit, aliâ occasione, eodem Lucâ narrante, Euang. cap. XV. 11. seqq., praeterquam e consilio, quo eâ utitur et occasione, quam ipsi praebuerunt Pharisaeorum murmurantium voces, abunde satis efficitur, quinam per filios duos, quorum in hac parabolâ fit mentio, sint intelligendi; per *alterum* nempe *Pharisaei* ac *Judaeorum legisperiti*, per *alterum publicani* atque *gentiles*. Ipsa quoque haec parabola (Luc. XV. 11. seqq.) multum confert, ad recte intelligendas duas priores, cum hae rursus, suâ vice, sequenti lucem affundant. Eadem est ratio parabolarum, quae narrantur Matth. XIII. sectt. 3—8. coll. 19—23. et sectt. 24—30. coll. 37—43. et Marc. IV. 26—29. quae, si inter sese accurate conferantur, altera alteram illustrat et mutuo suam ipsarum explicationem promovet ac faciliorem reddit. Idem valet de parabolis, quas narrant Matth. cap. XXII. 2—14. et Luc. XIV. 16—24. quae, quamvis aliâ atque aliâ occasione et alio item consilio a Jesu enunciatae sint, altera tamen ab alterâ lucem accipit et mutuo suam ipsarum intelligentiam, collatione recte institutâ, faciliorem reddit.

Et haec fere sunt, quae, ad externa interpreta-

tionis, parabolarum, quibus in docendo usus est Servator, praesidia, recensenda duximus.

---

§ 27.

Progredimur jam ad ea interpretationis momenta atque praesidia, quae vocantur *interna*, quippe ex ipso parabolarum quasi sinu hausta; illa scilicet, quae ex ipsius narrationis fictae accurata consideratione et tractatione derivantur. — Hinc per se patet, quam necesse sit interpreti, ut ipsa narratio seu πρότασις parabolae recte ab eo cognoscatur. Quodsi in ipsius narrationis intelligentiâ et explicatione erret, nae profecto ex illâ eruat, quae auctoris consilio prorsus sint contraria.

Itaque *prima* ratio, quam quoque commendat STORRIUS, *lib. laud.* § 14., quemque secutus est Doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS, *spec. laud.* Part. II. p. 143. seqq. nobis erit, ut in ejusmodi parabolis, quarum ficta narratio non nisi rei significatae alterum exemplum est, *generales* et *universales*, quae dialectice dicuntur, *notiones*, quaeramus, quibus, tanquam suo generi, utraque et *ficta narratio* et *res significata* subest. Exemplis id illustrare conabimur. — *Primum* igitur nobis erit exemplum parabola, quam Jesus, narrante Lucâ, Euang. cap. VII. 41 et 42. Simoni Pha-

Pharisaeo proponit, cujus speciale consilium est, ut hujus caeterorumque Pharisaeorum fastum atque supercilia reprimat, quibus despiciebant et a divinâ benignitate atque misericordiâ excludebant omnes omnino, qui vitiis et libidinibus cujusvis generis aperte sese tradidissent. Hos enim ad regni Coelestis felicitatem haud admittendos existimabant. Hujus autem superbiae exemplum praebebat quoque Simon, aegre ferens, mulierem publice diffamatam honoris et grati animi specimina, inter epulas, doctori, ad mensam discumbenti, eximia exhibere. Quod cum Jesus permitteret, nec a pedum suorum, lacrymis suis, lotione et lautâ unctione mulierem arceret, inde statim colligit, Jesum certe non esse prophetam; nam propheta si esset, mulierem hanc nosse debuisset, tanquam famosam, nec ullum cum illâ habere commercium: nunc autem, cum ad sese illam admitteret, et grati ejus animi specimina benevole acciperet, vitae istius mulieris ratio nota ei esse non potuit. Cumque hujus rei ignorationem a prophetae munere alienam existimaret, hinc concludit, Jesum prophetam non esse; nam hujus mulieris vitam et mores nosse et nihilominus tamen benigne eam accipere, id a Prophetae personâ quam maxime abhorrere, ipsi videbatur. Quem Simonis fastum, ut reprimeret Jesus itemque ostende-

ret, se quoque animi ejus cogitata noscere, subjectam ei proposuit parabolam.

Ut autem intelligatur, quid proprie sibi hac proponendâ parabolâ velit Servator, quae sit res significata, quae narrationi subest; ab illo, quod in parabolâ narratur, *creditoris* exemplo ejusque cum debitoribus agendi ratione, ad notionem *generalem* seu *universalem* mens sese attollat necesse est: pro *subjecto*, quod dicitur, *speciali* quaerendum est *generale* et huic quoque, pro speciali in parabolâ praedicato, adaptandum *praedicatum generale*. Pro creditore igitur substituendus *homo quivis*, et pro iis, quae de creditore praedicantur, ejusmodi agendi ratio substituatur, quâ quis in plures, in multos omnino beneficia varii generis gratuita confert, plura in hos, minora in illos, quorum gratiam referre, inter necessaria nulli non ducunt officia. Idem quoque, quod per ἐπαγωγὴν e narratione concludit Simon, majorem scilicet istius debitoris erga beneficum creditorem fore amoris caritatisque sensum, cui quingentorum denariorum debitum erat condonatum, quam ejus, cui remissa tantum erant denaria quinquaginta; idem hoc ad magis generalem notionem est referendum de majori scilicet amoris et grati animi sensu erga eum, qui beneficia in nos confert, pro majore beneficiorum, in nosmet collatorum, ratione et pretio. Paucis igi-

igitur notio illa universalis e speciali, quae narrationi inest, ducta, sic fere comprehendi possit: *quo quisque majora acceperit gratuita beneficia, eo major fere amoris ejus et grati animi sensus esse solet in eum, cui haec debeat beneficia.* Jam vero ut cognoscatur Jesu mens àtque consilium, hujus generalis notionis *applicatio* fieri debet, *ad rem* ab eo *significatam* seu ad *aliud* exemplum, quod, aeque ac ipsa narratio, generali illi notioni subest. Hujus autem rei significatae subjectum e contextâ oratione manifestum est. Aegre enim tulerat Simon Jesu agendi rationem; hinc, hujus illustrandae causâ, parabola fuit proposita. Spectat igitur parabola ipsum Jesum, ejus auctorem, utpote Patris sui personam in terris gerentem. Hic autem (et haec quidem est *generalis praedicati ad speciale praedicatum applicatio*) mulieri istae maximis quidem vitiis inquinatae, at vere poenitenti et ad meliorem frugem, a vitiosâ suâ et libidinosâ vitâ, redire cupienti peccata, (quae facultas ei a Patre suo erat data,) condonaverat, et in hujus condonationis fidem ac plenam persuasionem eam fortassis a corporis morbo, libidinosâ vitâ contracto, sanaverat. Pro hôc igitur beneficio, gratis in se collato, summo amoris et caritatis sensu ejus animus afficiebatur, et eo major quidem iste fuit sensus, quo magis ingens erat ejus pec-

catorum numerus, et culpae, quam inde contraxerat, gravitas. Itaque non poterat non, primâ quâque occasione datâ, gratum hunc animi sensum factis exprimere et sinceri sui amoris, in talem sui benefactorem, luculenta edere documenta. Hinc igitur Simon facile colligere poterat, Jesum non tantum mulierem istam ejusque vitam et mores bene nosse, sed simul quoque ipsum ejus poenitentiam et sincerum mores emendandi studium probare, grataque ei esse externa illa animi grati et in eum amoris puri documenta, quae, lavandis et ungendis et crine suo detergendis pedibus ejus, ediderat ista mulier. Quae vero deinceps sequuntur, inde a sect. 44—50. in primis sect. 47. ad instar sunt ἐπιμυθία seu ἀποδόσεις, quibus narrationis intelligentia Simoni facilior reddebatur, quibusque cum ipsius Jesu erga mulierem istam, tum mulieris erga ipsum agendi ratio et animi sensus ab omni injuriâ defendebantur, et Simonis quoque superbia, nec non fastus omnino Pharisaeorum, quorum sectae erat addictus, severe castigabatur. — Nec prorsus alienus sum a PAULI conjecturâ, quam quoque probat KUINOELIUS: Simonem nempe, Jesu ope, sanatum fuisse a morbo quodam, quem sibi peccatis contraxisset, levioribus tamen istis, quam, quae commisisset femina ista peccatrix, a Jesu quoque morbo graviori, paulo ante, liberata. Grati ergo

ani-

animi testificandi causâ Simonem Pharisaeum nunc temporis Jesum ad coenam quidem invitasse, pro superbiâ tamen et arrogantiâ, Pharisaeis propriâ, negligentius valetudinis pristinae restitutorem tractasse nec ullo amoris signo consueto eum excepisse existimamus.

Alterum nobis exemplum praebebit parabola de *ove perditâ*, quam, narrante Lucâ, cap. XV. 3—7. Jesus proposuit, ut perversam Pharisaeorum et legis-peritorum redargueret opinionem, de omnino non admittendis publicanis et flagitiosis hominibus ad regni Messiani felicitatem; nec non ad defendendum suum, cum hujusmodi pravo hominum genere, commercium, suamque cum iis agendi rationem vindicandam, quo facto simul injuriam, propterea a Pharisaeis sibi illatam, a sese depelleret. Ut igitur ex hac narratione res significata intelligatur, quaerenda est notio *universalis* seu *generalis*, cui cum ipsa narratio tum res significata, tanquam duae speciales notiones, subsint. Itaque, pro pastore fido, nil aliud curante, nisi ut ovem, a grege aberrantem et hinc vitae periculo continuo expositam, quaerendo et omnia lustrando, inveniat, ad gregem reducat et sollicitae suae erga oves curae rursus submittat; pro istiusmodi ergo pastore substituendus est *homo quivis*, res suas omni animi et corporis intentione curans; quidquid, ad eas promovendas,

facere posſit, id asſequi ſummo annitens ſtudio; ſi quid ceperint detrimenti, id continuo reſarcire et ad pristinum ſuum ſtatum reducere, quin, ſi fieri posſit, ad meliorem adhuc provehere ſtudens. Huic ſubjecto generali jam quaerendum est praedicatum, quod ei reſpondeat, *univerſale* magis; quod ut fiat, a praedicato ſpeciali, in narratione, ad *generale*, cui illud tanquam ſpecies ſubest, procedendum et investigandum, quodnam praedicatum, narrationis accuratâ ratione habitâ, generali ſubjecto conveniat? Sic, pro ove perditâ, a pastore anxie quaeſitâ et repertâ tandem, ad gregemque reductâ, ſubſtituenda est *qualiscunque* rerum, quae hominibus curae cordique esſe posſint et ſoleant *pars*, quam, quocunque tandem modo, quis amiſerit, ſeu cujus amittendae periculum adesſe ſibi perſuadeat, aut pro quâ, ne detrimenti aliquid capiat, magnopere vereatur. Porro, pro ſtudio fideli animique ardore, quibus pastor ille ovem, a grege aberrantem, invenire ac cum caeteris ſuae gregis ovibus rurſus conjungere ſtudet, quo agere illius curam omnino posſit; ſubſtituenda est cura enixa, ſtudium acre, quo quisque quamcunque illius rei partem, quae ſibi curae cordique est, quam ſive amiſerit, ſeu cujus amittendae periculum adesſe credat, pro quâ denique timeat, ne noxam quandam contrahat, recuperare, conſervare et omne omni-

nino detrimentum ab illâ depellere conatur. Denique, pro summo pastoris istius gaudio, quo, ove repertâ et ad gregem reductâ, afficiebatur, cujus gaudii elegans et nativa in primis descriptio in eo inest, quod *primo* humeris suis eam imponat et ad gregem reportet; *deinde* in convocandis amicis et vicinis, ut quoque hos suae laetitiae faciat participes, et, augendâ hac ratione alacritate, unâ cum illis maximo exsultet gaudio. Pro hoc igitur gaudio, quod *personis* atque *temporibus*, ut Latine dicitur, (hodierni de rè *in concreto* positâ loquuntur) *definitur* et *distinguitur*, substituenda est in *genere* et *indefinite* laetitia illa, quam quis percipere fere solet summam, quando illarum rerum, quibus maxime studet, quas in sinu ac quasi in corde gestat, partem amissam, seu qualicunque modo laesam aut vitiatam ac corruptam, recuperet sanam atque integram. Talis laetitia fere permagna esse solet, ita ut caeteris rebus, quarum pars tantum illa erat, quae hujus gaudii atque laetitiae ansam praebuit, quasi paulisper oblivioni traditis, homo ille gaudio affectus atque exsultans, nil omnino curare, nil sequi videatur, nisi id, quod in sinu semper gestaverit et amissum jam recuperaverit sanum atque integrum.

Hac autem ratione a *singularibus* rebus ad *generales* procedentes facile inveniemus *notionem* il-

lam *generalem*, cujus cum ipsa *parabolae narratio* tum *res significata* exempla sunt, personis atque temporibus finita atque distincta. Generalis autem subjectae parabolae notio haecce videtur: *quamcunque ejus rei partem, cui magnopere quis studet, quam colit et magno censet pretio, amiserit seu amittendam timuerit, de eâ, si recuperaverit aut salvam servaverit eam, majore afficitur gaudio, quam quod e continuatâ rerum, non amissarum, possessione et integritate sentire soleat.*

Jam vero hujus generalis notionis fiat *applicatio* ad rem significatam, seu ad aliud exemplum, quod parabolae narratione, tanquam ejusdem generis alio exemplo, quasi adumbratur; ab universo genere jam quasi descendendum ad *finitam* rem personis caeterisque adjunctis. Itaque rei significatae *primum* quaerendum est subjectum: quod, e contextâ oratione, quâ haec occurrit parabola, facile invenitur. Scilicet cum ex illâ pateat, Servatorem in eo esse, ut sese contra Pharisaeorum et legisperitorum calumnias defendat, qui aegre ferebant, quod benevole acciperet publicanos et homines omnino vitiis quibuscunque deditos, eosque doceret et amanter cum iis versaretur; statim in oculos incurrit *subjectum* illud esse ipsum Servatorem; de eo autem praedicari, quod, Patris sui personam, in hac terrâ, gerens, veluti pastor fidus,

om-

omnibus nitatur viribus, ut homines a pietatis virtutisque viâ deflectentes in eam reducat et felicitatis, quam vitiorum et impietatis ſtudio amiſerant, rurſus participes reddat. Quod ſi haec ſtudia, hi conatus vel unó in homine felices habeant ſucceſſus, non ipſum tantum ſummo hac de re gaudio affici, ſed Patrem quoque ejus Coeleſtem, cujus perſonam gerat, haecce ſtudia atque conatus comprobare, et quidquid ipſe, hac in re, faciat, id Patri ſuo ſummopere placere; quin coelites quoque tali inde gaudio affici, qualem haud ſentiant felicitatis ſuae et coelicolarum omnino omnium ſenſu.

Hac igitur viâ progreſſi tandem ad rei ſignificatae intelligentiam, ut nobis quidem videtur, perveniemus.

Uno adhuc et quidem *tertio* exemplo defungemur, quod nobis praebebit parabola de *iniquo dispenſatore* Luc. XVI. 1—9. Ut autem veram hujus parabolae ſententiam asſequamur, circumſpiciamus *generale* ſubjectum, cui narrationis ſubjectum, veluti ſpecies ſeu formâ quaedam, ſuo generi ſubjiciatur.

Pro iniquo ſeu potius perfido dispenſatore ſubſtituendi igitur ſunt: homines quicunque, quibus qualiumcunque rerum dispenſatio commisſa est; pro providâ ejus agendi ratione, quae a hero ſuo

pro-

probatur, quod est narrationis praedicatum, in generali notione tanquam praedicatum ſubſtituenda est anxia cura et alacre ſtudium, quibus quemque decet, quaecunque ſibi commisſa ſint, ſive ad corpus ſeu ad mentem pertineant, fideliter administrare, h. e. eum in finem adhibere, ut ſibi provideat et illi, qui harum rerum dispenſationem ipſi commiſerit, probetur. Univerſalis igitur notio, quae ex ipſâ narratione elicienda est, paucis ut videtur, circumſcribi posſit, hoc modo: *fidum quisque ſe praeſtet in procurandis, quae ſibi commisſae ſint, rebus et ſic, ut probetur, ſibi provideat.*

Haec igitur generalis notio applicari debet rei ſignificatae. Jam vero *primum* hujus quaerendum est *ſubjectum*. Hoc autem e contextâ rurſus oratione facile invenitur. Scilicet e ſectt. 1 et 2. cap. XV., cum quo arcte cohaeret cap. XVI., apertum est, eo tempore, quo parabolas, quae his capp. leguntur, propoſuit Jeſus, praeſentes fuisſe, praeter discipulos, quos asſiduos habuit ſectatores; portitores quoque multos nec non Phariſaeorum et legisperitorum aliquos. Sect. 14. cap. XVI. Lucas narrat: Phariſaeos omnem hunc ſermonem parabolicum audisſe. His igitur inter ſeſe collatis, rei ſignificatae ſubjectum esſe portitores illos et Phariſaeos, ac in primis quidem posteriores, facile appa-

re-

rebit. Nam, quod initio hujus cap. XVI. Lucas narrat, καὶ ἔλεγε τοῖς μαθηταῖς, latiori id sensu accipiendum, de omnis generis sectatoribus, ut Matth. XXIV. 1. Luc. VI. 13. Joh. VI. 60. 66. Portitores igitur et Pharisaeos spectabat parabola. Jam vero quaerendum est praedicatum, quod his, narratione recte adhibitâ, conveniat. Traductâ igitur imagine *iniqui* seu *perfidi* dispensatoris ad homines istos, spectandi sunt tanquam divitiarum cupidi, his continue inhiantes. Utrique eas, varii generis fraudibus artibusque, sibi comparare studebant. (cf. Luc. XIX. 2, 8. Matth. XXIII. 14. Luc. XI. 39. seqq.) Divites fere quidem erant isti homines, at non sibi rem, juste et aeque agendo et suum cuique tribuendo, acquisiverant. (Premendum enim videtur, quod dispensator in narratione dicatur *perfidus*.) Portitoribus igitur et Pharisaeis, quos, iniqui dispensatoris imagine, taxat Servator in id maxime incumbendum esse, innuit, ut in posterum sibi provideant, seseque divitiarum, quas, nonnisi Deo permittente, possideant, recto usu probent, ne aliquando, cum, corporis morte, a cunctis divitiis deserantur, nil habeant, quo nitantur et ad summam redigantur miseriam. *Similem* igitur agendi rationem iis commendat, quam, in imagine, a dispensatore perfido institutam viderent. Quid autem ille egit, quod imitari deberent? Scilicet de-

deſtitit a ſuâ perfidiâ et prudenter ſibi in posterum proſpexit. *Deſtitit a ſuâ perfidiâ.* Ut enim audivit, delatum ſe esſe hero, herumque administrationis rationem ab eo poscere, continuo ab eâ re, quae accuſationi anſam dederat, in posterum alienum ſe fore, demonſtravit, diminuendo, quod ab heri debitoribus quotannis exegerat, pretio conductitio, ad illam pretii ſummam, quam in rationes, quae ipſum inter et herum intercedebant, referret. Hoc facto, et prioribus chirographis, in quibus majus, quam quod ipſe hero expendebat, pretium conductitium erat memoratum deletis, pro his ſubſtituebantur alia chirographa, in quibus illud pretium ſtipulabatur, quod quotannis accipiebat herus; quo pretio iste, qui erat dives, contentus erat, ne coloni ſui nimis premerentur. Miranda erat hac in re dispenſatoris prudentia. Hac enim ratione ſuae administrationis hero reddere rationem potuit; nam ex chirographis ei demonſtrabat, ſe pretium, quod a colonis quotannis accipiebat, conductitium, exacte ei ſolviſſe; ſimul tamen re ipſâ ostendit, ſe amplius fraude circumvenire herum nolle, et ab ejusmodi artibus, quibus hucusque plus a colonis exegerat, quam ipſe hero ſolverat, abſtinere in posterum ſeſe velle. Hac autem re colonorum ſors melior et felicior multo, quam antea exſtitit, nec erat, cur, apud

alios,

alios, de dispenſatore conquererentur. Sed *prudenter quoque ſibi in posterum proſpexit* dispenſator. Cum enim, inſpectis chirographis, a fraudis crimine eum abſolviſſet herus, non erat, cur eum dispenſatoris munere exueret. Falſo enim crimine delatus apud herum videri poſſet, et colonos ſibi quoque habebat devotos, quippe qui existimarent, dispenſatoris ſe officio, a pendendâ magnâ pretii conductitii parte, esſe liberatos. Quodſi autem herus dispenſatoris ſui fraudem ſuspicaretur aut eam quoque detegeret, quod, ut ex ipſâ narratione conſtare videtur, re verâ quoque accidit, a dispenſatoris quidem munere removere eum potuit, ſed haud jure cum illo agere, nam ipſa chirographa ab omni fraudis crimine eum abſolvebant. Tum vero in colonorum grato animo refugium ſibi praeparaverat, quo ſeſe conferre poſſet, ut deinceps haberet, unde vitae ſuae neceſſitatibus proſpiceret. Nam coloni isti, ab eximiâ pretii conductitii parte, dispenſatoris officio, quotannis liberati, nec quidquam, de mutatis chirographis, ſi vel herus hac de re inquireret, dicere auſi, non poterant non isti homini, a munere jam remoto, vitae neceſſitates praebere, et hac re gratos ſeſe ei demonſtrare. — Hinc quoque intelligendum, quid ſignificet illud, quod, in narratione, de hero dicatur: καὶ ἐπῄνεσεν ὁ κύριος τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας. Non lauda-

vit

vit fraudem ejus, qua plus a colonis exegerat, quam quod ipse ab iis repoposcerat; et minus in rationes suas retulerat, quam a colonis acceperat; sed laudavit h. e. probavit et magnopere admiratus est dispensatoris prudentiam, qua sibi ipse cavisset, ut in posterum, aut benevolo heri animo uteretur, nec a munere suo removeretur, aut, etiam remotus, a nemine reus agi posset, et tamen haberet, unde vitae necessitatibus prospiceret. Itaque Portitoribus et Pharisaeis quoque *a pravo illo, quod sequebantur, divitiarum studio erat desistendum et, quibus abundabant divitiis, iis recte et inprimis in pauperum usum atque commodum ipsis utendum erat. Priores* igitur non plus, vectigalis specie, exigere debebant, quam jure ipsis competebat, et ab omni vexatione atque injuriâ porro abstinere. Hac autem ratione divitias sibi comparasse portitores, collatis, Luc. III. 12, 13. et XIX. 2, 8. locis, liquet. *Posteriores* autem, Pharisaeos scilicet, variis generis artibus, hypocrisi fere junctis sibi rem quaesivisse, e locis Matth. XXIII. 14. et Luc. XI. 39. seqq. apparet.

Ut autem in futurum sibi prospexerat dispensator iste, sic quoque, ut illi *sibi in futurum prospicerent*, necesse erat. Quodnam autem futurum tempus Servator innuat, id apparet ex illo εἰς σκήνας αἰωνίους; quo respicitur tempus post mortem futurum,

rum, vita futura, aeterna; adjunctâ felicitatis notione; imagine quoque sumtâ ab illo δέξωνται με εἰς τοὺς οἴκους αὐτῶν (sect. 4.) Ut igitur illius vitae et felicitatis fierent participes, nec aliquando pravarum artium et fraudum, quibus divitias sibi comparaverant, poenas darent, imitandum illis erat illius dispensatoris exemplum, et, aeque ac ille, nil non agere atque moliri et in id omni studio ac intentione incumbere debebant, ut suo munere recte fungerentur; sive reddendo, si posset, quod injustè et fraude sibi acquisivissent, sive largiter erogando pauperibus, eoramque miseriam, quantum possent levando, et divitias omnino, quas, qualicunque tandem titulo, possidebant, ita adhibendo, ut Deo aliquando probarentur, et, quamvis suâ injuriâ ac fraude poenas meruerint justas, ob reditum tamen ad meliorem frugem et divitiarum rectum usum, summâ Dei misericordiâ, aeternâ bearentur felicitate. Nam in illo ἐπαίνεσεν κ. τ. λ. praegnantem quoque obtinere significationem, nobis quidem visum est; hoc fere modo explicandam: non tantum non a munere eum removit dominus, neque poenas ab eo sumsit, sed datâ ei culpae veniâ, admiratus quoque est et probavit ejus prudentiam, qua in posterum sibi prospexit. Hinc autem, si ad rem significatam fiat applicatio, ratione colligi posse videtur, omissis, quibus antea obnoxii fue-

rant fraudibus atque peccatis, talibus Portitoribus ac Pharisaeis vitae aeternae felicitatem Deum condonaturum. Multae autem lucis huic parabolae affundi ex illâ Servatoris nostri oratione, quae tanquam ἐπιφώνημα, inde a sect. 9 ad 13. parabolam sequitur. Caeterum, si in qua aliâ, certe hac in parabolâ, ipsa narratio, ut res significata recte cognoscatur, accurate est explicanda et παρεκβάσεις omissae, consilio narrantis convenienter, suppleri debent, ita, ut singulae narrationis partes, inter sese cohaereant. Singularis de hac parabolâ exstat LEONARDI BERTHOLDTI commentatio in *Opuscc.* ejus *Acadd. exegetici potissimum argumenti* editore G. B. WINER *Theol. P. P. O. in Acad. Erlang.* Lipsiae, 1824. qui multo cum doctrinae apparatu demonstrare conatus est, per τοὺς μαθητὰς, quibus Jesus hanc parabolam narrasse perhibetur, nullos, nisi duodecim ejus Apostolos esse intelligendos, Judaeque proditoris agendi rationem imagine perfidi dispensatoris depingi atque taxari. Quae autem explicandi ratio, minime nova, nobis haud magis placere potuit, quam censori in *Bijdragen tot de Beoefening en Geschiedenis der Godgell. Wetenschh.* XIV. D. 5de Stuk, 1826. pag. 680. seq. Alia adhuc exstat ERNESTI CAROLI RAUCHII Theologiae Candidati, hujus parabolae explicatio, inserta Ephemeridibus: *Neues Kritisches Journal*

der

der Theolog. Literatur, herausgegeb. von Dr. G. B. WINER und Dr. J. G. VEIT ENGELHARDT, IV. B. 4tes St. 1825. p. 385. Hic enim, quae inde a sect. 1—13. leguntur, in tres dividit partes a se invicem non omnino disjungendas. In *primâ* parte, quae proprie continet narrationem parabolicam sect. 1—8. Jesus discipulis suis (duodecim sc. Apostolis) utilissimum tradere voluit praeceptum, de acquirendâ, in perfungendo doctoris munere, necessariâ prudentiâ, ut è rebus molestis ac dubiis sese expediant, quam prudentiam facillimine ex agendi ratione τῶν υἱῶν τοῦ αἰῶνος τούτου qualis erat ὁ οἰκονόμος ille τῆς ἀδικίας, quales erant quoque οἱ τελῶναι, οἱ ἁμαρτωλοὶ καὶ οἱ Φαρισαῖοι. In *alterâ* parte, quae sect. 9. continetur, sermonem convertit ad Publicanos, qui forte moleste ferebant ac animo conturbabantur, sese imagine perfidi dispensatoris a Servatore taxari, in primis, cum sect. 8. per τοὺς υἱοὺς τοῦ αἰῶνος τούτου ipsos indicare videatur. Hos igitur breviter quidem at efficaciter admonet, ut bonis opibusque male partis bene tandem utantur caet. In *tertiâ* autem parte, quae decurrit a sect. 10—13., Pharisaeos spectavit; hi enim, quippe δικαιοῦντες ἑαυτοὺς (sect. 15.) minus adhuc, quam portitores isti, Jesu sermonem ferre poterant, ac irâ in eum commovebantur. Displicuit ipsis parabolae forma, qua persona inducebatur, atque in exemplum propo-

nebatur honestatis minime ſtudioſa, ſed ab omni aequitate et fide prorſus aliena. Ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι (ſect. 14.) ſuam hac de re indignationem altâ voce proferebant. Cum autem Jeſus, ne in pejora ruerent, timeret, ab eorum calumniis atque criminibus ſeſe defendere conatus est, inde a ſect. 10. ſeqq. hac fere ratione: "*Nec ego quidem dispenſa-*
„ *toris agendi principia probanda eſſe cenſeo,*
„ *ejus prudentiam tantum vobis commendare vo-*
„ *lui; in omnibus rebus fideliter verſandum est,*
„ *quod quidem alid quoque occaſione a me audi-*
„ *vistis. Hinc Jeſus ſententias citat, quae qui-*
„ *dem alibi quoque occurrunt, quia ſaepius eas*
„ *in ore habuit.*" Itaque Jeſus cum ſui ipſius defenſione huic orationis ſuae parti apicem imponit. — Haec fere est ſententia RAUCHII, multis deinceps argumentis, exegeticis fere, ut res ipſa postulabat, adſtructa. — Quantumvis ingenioſa autem haec hujus parabolae ſit explicatio, mihique magis placeat, quam illa BERTHOLDTI, in ejus tamen ſententiam ire haud posſum; in primis propterea, quod nimis quaeſita mihi videtur ſermonis tam brevis, quam ea est, quae continetur ſectt. 1—13. in tres partes distributio, ita ut pars quaeque ad aliam auditorum Jeſu partem ſit referenda. Fortasſis, ſi Deo placet, nostrique labores haud prorſus ingrati ſint Viris Doctis, in ſingulari com-

commentatione, alio tempore de hac parabolâ agemus. Nunc haec sufficiant.

Venerab. STORRIUS § 9 et 14. dissert. suae *de parabolis* sumit, esse parabolas nonnullas, quae nonnisi rei significatae sunt exempla, seu, ut aliis verbis dicam, quae generalem quandam notionem aut doctrinam, personis atque temporibus aliisque rerum adjunctis, illustrandi causâ, definitam (*in concreto* dicunt) proponant. Ad quarum parabolarum intelligentiam nonnisi *abstractione* opus esse, pro *singularibus universales*, pro *specialibus*, *generales* notiones substituente, affirmat. Quamvis autem concedimus Venerab. STORRIO, abstractione illâ in primis opus esse, ut nobis viam ad parabolarum rectam intelligentiam pandamus, et esse illam tanquam fundamentum, quo vera parabolae cujuscunque interpretatio superstrui possit ac debeat; nondum tamen persuadere nobis ipsi potuimus, abstractione illâ, vel in unâ Servatoris nostri parabolâ, totam rem absolvi posse, nec quoquam alio, praeter hanc, interpretationis subsidio, opus esse, ut res significata intelligatur. Exemplo id illustrare conabimur et quidem parabolâ, quae occurrit Luc. XVI. 19—31. Ut hujus parabolae sententiam seu significationem recte intelligamus, a narratione, personis atque temporibus distinctâ atque definitâ, progrediamur ad universum

genus. Pro divite igitur illo, in narratione obvio, ſubſtituendus *qualiscunque homo dives*, at duro atque immiſericordi erga pauperes, ſine discrimine omnes, animo; pro Lazaro, *homo quivis egenus* et ſummâ miſeriâ afflictus, at probus tamen ac pietate inſignis, ab hominibus vero, divitiis abundantibus, ac luxurioſe viventibus, neglectus. Generale hi rei ſignificatae *ſubjectum* conſtituunt. *Praedicatum*, huic ſubjecto congruum *primo* in eo est, quod utrique, divites, aeque ac pauperes, aliquando moriantur; *ſecundo*, quod pios pauperes, ſtatim post mortem, coelestis felicitatis maneat praemium; divites autem luxuriae et voluptatibus dediti, neque pauperum, in primis piorum, egestate ac miſeriâ, ad miſericordiae ſenſum adducti; nec non caritatis officia negligentes, felicitate coelesti amisſâ, ſevere ſint puniendi. Univerſa itaque notio e parabolae narratione deducenda ſic fere ſeſe habeat: *ſolos virtutis pietatisque ſtudioſos, post mortem fore felices, nullâ rerum externarum, ſive laetarum ſeu tristium, hujus vitae terrestris habitâ ratione.* Sed non hoc erat, quod, tanquam communem locum, docere voluit Jeſus; ſed hujus dogmatis generalis applicationem fieri voluit in ſingulare hominum genus, quod hac ipſâ parabolâ taxabat; in Phariſaeos ſcilicet, avaros fere et genio ſuo indulgentes (cf. ſect. 14.),

Mu-

Mutatis nempe nominibus fabula de ipsis loquebatur. Dives igitur ille luxuriosus, imaginem referebat Pharisaeorum tantum non omnium; et illius durus atque immisericors erga Lazarum animus, imago erat animi erga pauperes et afflictos, suae quoque gentis, duri, plurimorum e Pharisaeorum gente. Eandem autem ipsos manere sortem, nisi resipiscant, ostendit Jesus, qualis fuerat istius, in narratione, luxuriosi divitis; cum contra ab ipsis neglecti ac contumeliose habiti nec non a regni Divini consortio fere exclusi pauperes, at pii tamen, regni Coelestis felicitate bearentur. Haec autem ex universâ seu generali illâ doctrinâ, seu dogmate non possunt cognosci, sed disquirendum est speciale Servatoris nostri consilium in proponendâ hac narratione, ut, quosnam, tum temporis, in primis spectaverit bene intelligatur. Ad contextam igitur, quae dicitur, orationem refugiendum est, quae, collata cum ipso hujus narrationis argumento, indicio nobis est, Servatorem nostrum in primis spectasse Pharisaeos, avaritiae et luxuriae fere deditos (coll. sect. 14.); deinde narrationis ipsius περιστάσεις in consilium vocandae; et his attente consideratis, haud sine ratione, colligitur e precibus istius divitis, cum jam in orco esset, ad Patriarcham, Judaeorum gentis auctorem, fusis, nec non e responso, quod ei dedit Patriarcha sect. 24 et 25,

Servatorem ſpectasſe omnino Phariſaeos. Hos enim ex historiâ Euangelicâ patet, ſuâ, a patriarchâ Abrahamo, origine gloriatos fuisſe; hunc patrem ſuum vocasſe, et inde, quod ab eo originem ducebant, derivasſe, ſe felicitatis regni Coelestis ſeu Mesſiani certo fore participes. Univerſus praeterea collati istius, inter Patriarcham et divitem in orco, ſermonis color, ut ita dicam, ejusmodi est, ut non univerſe de divitibus avaris et luxurioſis affirmare quid, Servator videatur voluisſe; ſed de ſingulari quodam hominum genere. Nec aliud hominum genus, in Jeſu historiâ, obvium vix inveneris, cui narrationis περιστασεις ita accommodari posſint, uti omnino Phariſaeorum familiae; περιστασεις autem illae non ſunt otioſae ſeu ornandi tantum cauſâ appoſitae, ſed in rei ſignificatae expoſitione omnino premendae atque urgendae. Hinc igitur colligendum, Servatorem Phariſaeos docere voluisſe, vanam esſe illam, quam tantopere jactabant, gloriam, ductam illam, ex origine ſuâ, e Patriarchâ Abrahamo; nec quidquam in eo juris esſe, quo ſibi, niſi Patriarchae quoque vitam et mores imitarentur, Mesſiani ſe regni cives esſe perſuaderent ac cum hac civitate junctam felicitatem ſibi promitterent. Contra fore, ut ab hac felicitate prorſus excluderentur, ſi in vitâ ſuâ luxurioſâ ac divitiis inhiante, nec non in ſuâ

erga

erga pauperes et afflictos immisericordiâ, pergerent. Pharisaeos porro hacce parabolâ notasse Servatorem, probari quoque posse ex illâ sermonis inter divitem et Patriarcham habiti parte, quae decurrit, inde a sect. 27 ad 31. existimem. Pharisaei enim haud contenti iis, quae ipse Moses et Prophetae de Messiâ ejusque regni ratione annunciaverant, ad quae Jesus, ut Messianam suam dignitatem atque auctoritatem confirmaret, passim provocabat, continue, neglectis caeteris Jesu operibus mirificis, portentum e coelo seu aliud generis hujusmodi ab eo petebant, quo, se Messiam esse, ipsis ostenderet. Jam vero hujusmodi portentum iis sapienter denegavit Servator. Idem fere, sed parabolice, eos docet h. l. Servator. Scilicet, si regni Messiani felicitate participes esse velint, Mosis atque Prophetarum, quos in ore semper habebant, praeceptis sese accommodarent; fidem haberent iis, quae de Messiâ et regni ejus ratione isti annunciaverant; quos si negligant nec fidem se ipsis habere, rejiciendo se, utpote Messiâ, demonstrent; nae frustra aliud, quo de auctoritate Jesu Messianâ persuadeantur, documentum a Deo petituros, suaeque pertinaciae tandem poenas daturos.

Ex his, quae de hac parabolâ h. l. diximus, satis patere videtur, haud sufficere ad rectam ejus

intelligentiam, e consilio quoque Servatoris ducendam, ut ex ipsâ parabolae narratione generalem tantum eliciamus notionem; sed accommodari quoque eam debere ad speciale subjectum, quod in primis innuat Servator, adhibitis porro in consilium narrationis adjunctis, ut inde de praedicato, quod rei significatae i. e. speciali subjecto congruum sit decernere possimus. Solâ igitur abstractione ad *ullius* parabolae perfectam intelligentiam pervenire interpretem posse, nobis haud videtur. Doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS in disputatione suâ, *de parabolis J. C.* saepius jam laudatâ, STORRIUM presse secutus, eâ quoque est opinione, parabolas illas, quae "*ab allegoriâ prorsus*," ut illi videtur "*discedunt atque* exempla *potius dicenda* „ *sunt*," quo refert Luc. X. 30—35. XVI. 19—31. XVIII. 20—14. "*ejusmodi esse, ut earum* „ *explicatio communis loci, seu generalis notio-* „ *nis investigatione absolvi* fere *possit.*" Ex illo autem *fere* suspiceris, virum doctissimum in explicandis hujus generis parabolis ipsum sensisse difficultatem, qua Venerab. STORRII laborat ista interpretandi regula: eas nempe parabolas, quae rei significatae exempla sunt, *solâ* intelligi *abstractione*, pro *singularibus universales* pro *specialibus generales* notiones substituente. Addit quoque VAN LIMBURG-BROUWERUS, eâ tamen, in adhibendâ

hac

hac regulâ, sedulo cautione utendum esse, ut interpres *ipsius narrationis indolem* rite et accurate perspectam habeat. Quod nisi rite fiat, maximam exempli vim et efficaciam perire (*); quod idem fere dicit, quam quod nos de consulendis rerum adjunctis, in narratione obviis, modo affirmavimus, ac de transferendis iis, ad rei significatae praedicatum.

Ad hujusmodi parabolas autem, quarum explicatio secundum Doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERI sententiam, loci communis investigatione, aut generalis notionis abstractione fere absolvitur, ab ipso refertur quoque illa, quam narrat Lucas, Euang. cap. X. 30—35. Quam incerta vero et parum apta ad indagandam cujusvis parabolae veram sententiam, e consilio quoque auctoris explicandam, sit illa regula, qua, unâ illâ abstractione, explicationem earum parabolarum absolvi docetur, quae nonnisi generalioris doctrinae exempla sunt, seu quae communem locum in concreto, ut ajunt, repraesentant; hoc ipsius parabolae explicatione a Doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERO, exempli causâ citatae, demonstrare conabimur.

Itaque, ut generalis, ex hujus parabolae narratio-

(*) Vid. *Spec. laud.* P. I. § 4. pag. 79. coll. P. II. pag. 147. et STORRIUS; *Opusc.* Vol. I. Dissert. II. § 9.

tione, notio indagetur, pro homine isto, Judaeo, (ut omnis fabula docet) a latronibus suis rebus exuto et misere habito, et absque humanitatis officiis, ab aliis sibi praestandis, certo perituro, substituendus est, quivis homo miser atque ita afflictus, ut, nisi alii humanitatis officia ei praestent ejusque deplorandae sortis misereantur, salvus esse non possit; pro tribus istis personis, quae in narratione, tanquam in dramate agentes proponuntur, sacerdote, Levitâ, Samaritano, substitui debent cujusvis generis homines, quorum pars major erga alios homines afflictos ac summâ in miseriâ versantes, ejusque auxilio ac ope, ut salvi sint, indigentes humanitatis officia negligat, nonnulli autem generoso ea exerceant animo, et in id incumbant, ut humani nihil a se alienum putent, ac, quantumcunque possint, miseriam ab aliis depellant. Posteriorum autem exemplum esse imitandum per ἐπαγωγὴν, in fine parabolae additam, docet Servator. Generalis igitur notio, e parabolâ propositâ ducenda, fere haec erit: *humanitatis officia cuique homini, a quibusvis, nullius rei, nisi humanitatis, habitâ ratione esse praestanda.* Jam vero haec non sufficiunt ad hujus parabolae universam rationem atque consilium cognoscendum; sufficerent sane, si narratio ipsa per se spectari deberet, sed continetur illa Jesu sermone ad certas personas habito, datâ specia-

ciali opportunitate. A generali itaque notione quasi descendendum ad speciale illud subjectum atque praedicatum huic subjecto congruum, quod caeteris interpretandi subsidiis tantum cognoscitur. Subjectum autem illud speciale intelligitur e nexu seu e contextâ oratione, qua ipsa continetur narratio: inde autem apparet, innui legisperitos, et in primis eum, quocum, hac occasione, sermonem conferebat Servator, quorum imago erant Sacerdos atque Levita in narratione. Invento nunc subjecto speciali, praedicatum huic congruum ex ipsius narrationis περιόσοις circumspiciendum est. In ipsâ igitur narratione personae agentes non ipsae per se, nullâ inter ipsas intercedente ratione, proponuntur; sed ita, ut certa quaedam inter eos ratio intercedat. Miser ille, qui afflictus vulneribus, semianimis in viâ jacebat, Sacerdotis ac Levitae erat civis; Samarita ille, qui homini misero succurrit, propterea quod Samarita erat, a Judaeis odio habebatur; nam hostili semper animo in Samaritas fuisse Judaeos testantur historiâ Evangelica et Josephus Judaeorum historicus. In narratione igitur conspiciuntur cives, misere afflictum civem, cui succurrere, atque e miseriâ suâ salvum forte praestare poterant, prorsus negligentes, nec solatii quidquam ei praebentes, quippe duri et ab omni humanitate alieni; sed conspicitur quoque alienigena erga alienigenam,

ejus

ejus populi civem, qui maximo odio suum habebat populum, quique omnia humanitatis officia ei denegabat; ipsum quoque, utpote Judaeum, hostilem animum in Samaritas, atque ita in se etiam, foventem; hic inquam, conspicitur humaniter erga alienigenam, eumque hostem agentem, et nil omnino omittentem, quo salvum praestare miserum posset hominem; id unice cogitantem, quid a sese humanitas requirat, nec ullam odii Judaeorum in Samaritas rationem habentem. Haec igitur si transferantur in legisperitos, in eum in primis, quocum Jesu, hac, occasione, erat sermo, in quos transferri, e consilio Servatoris, haec debeant, (collatâ admonitione in fine parabolae additâ;) admonentur homines isti duri fere et immisericordes, ut non tantum humanitatis officia suae gentis civibus, quod et ipsum fere negligebant, praestare debeant; sed et alienigenis quibuscunque, sed et hostibus, quorum hostilem in se animum ipsi cognovissent. Hactenus autem Sacerdos atque Levita in narratione spectantur tantum, tanquam miseri istius hominis cives, nullâ muneris eorum habitâ ratione. Sed haud absque consilio in narratione a Servatore nostro in scenam quasi producuntur Sacerdos atque Levita: nam ex aliis quibuscunque gentis Judaicae ordinibus personae agentes adhiberi etiam potuissent, si omnino Judaeorum in alienigenas

et

et in primis in Samaritas odium, et durum erga afflictos, suae quoque gentis, cives animum redarguere voluisset. Sed tecte, quamquam severe, legisperitorum, et omnino Sacerdotum et populi Judaici principum sentiendi fere atque agendi rationem exprobrare ipsis voluit, qua non tantum alienigenis et in primis quoque Samaritis omnia humanitatis officia denegarent, eosque, quocunque modo possent, odio persequerentur, sed cives quoque suos, fortunâ adversâ atque miseriâ afflictos negligerent fere, et suâ sorte, tanquam divinâ pro eorundem peccatis poenâ, dignos eos censerent. Hos igitur admonet, ut perversam hanc sentiendi atque agendi rationem missam faciant, ac suo exemplo suisque monitis populum, quod muneris ipsorum erat, adhortentur, ut non tantum erga cives suos, quacunque ratione miseros atque afflictos, humanitatis officia exerceant, sed alienigenis quoque, quin etiam hostibus ea praestent, et hac ratione humanitatis legibus obtemperent, humani nihil a se alienum putantes.

Ex his, quae de hac parabolâ disputavimus, sat liquido constare opinamur, unâ illâ, quam Doctiss. VAN LIMBURG-BROUWERUS, praeeunte STORRIO, commendat regulâ, illarum parabolarum explicationem haud absolvi, quae, judicantibus ipsis, nonnisi *generalis* cujusdam *doctrinae*, *exem-*

pla

plis sint, e quarum narratione nonnisi generalis notio abstractione esset quaerenda, ad hujusmodi parabolarum sententiam intelligendam.

---

§ 28.

Jam nobis progrediendum est ad illa interpretationis subsidia, quae, inventâ generaliore illâ notione, cui, cum narratio tum res significata, tanquam suo generi subest, eo valeant, ut viam nobis monstrent ac modum definiant, quibus *differentiam*, quae dicitur, *specificam*, narrationem inter et rem significatam, facilius inveniamus, atque ita ad veram parabolarum intelligentiam, consiliumque Servatoris nostri, in ipsis adhibendis, recte cognoscendum perveniamus.

Hanc autem disputationis nostrae partem observationibus nonnullis absolvendam quoque duximus.

---

§ 29.

Observatio XIV.

In interpretatione parabolarum, quibus Servator noster, sive rogatus a discipulis suis, discen-

endi cupidis veritatisque amantibus, sive sponte suam ipse explicationem adjunxit, hoc bene observandum est, eum non omnes semper parabolae partes, quamquam revera pertineant ad rem, quam parabola velit proponere, sed praecipuas tantum explicare, e quibus discipuli allique, ad quos sermonem suum habuit, quid per caeteras intelligi vellet, colligere possent. — Sic in explicatione parabolae, quam proponit Servator Matth. XIII. 24—30. coll. 36—43., ne verbum quidem addit de eo, quid intelligere discipuli debeant, per colloquium illud, patrem familias inter et operarios suos, quod proponit, inde a sect. 27. usque ad sect. 29. Hoc autem, ut nobis quidem videtur, eo consilio factum est, quod, proposita re praecipua, (sect. 40—43.) quam parabola hac indicare voluit, de caeteris, cum hac re conjunctis, judicare ipsi possent. In eo enim summi doctoris summa cernitur prudentia, quod sensim eo adducere discipulos suos voluerit, ut animi vires ipsi exercerent; quod non, statim ab initio, omnia ipsis declaranda, sed pauca etiam eorum meditationibus relinquenda judicaverit, ut hac ratione acueretur eorum judicandi facultas, et ipsi per gradus praepararentur praeclaro illo muneri, quo ipsis de rebus divinis divina auctoritate esset disserendum. Largimur quidem STORRIO, Viro doctiss. *Opusce. Acadd.* Vol. I. diss.

II. § 18. *Servatorem*, sectt. 27 et 28. *praedicere noluisse*, (sunt verba STORRII) *apostolos miraturos esse, quid causae sit, quare mali homines in Ecclesiâ reperiantur, precibusque a domino oraculum in hac causâ petituros esse;* negamus tamen, *illas servorum quaestiones cum re significatâ nullam habere similitudinem.* Videtur omnino Vir doctiss. non distinguere inter rei significatae *praecipuam partem*, atque eam, quae, *minus* quidem *praecipua*, huic tamen arcte juncta est. Illa quidem omnino proponitur sectt. 29 et 30. illis tamen servorum quaestionibus, sectt. 27 et 28. inest causa, cur proponat Servator doctrinam, sectt. 29 et 30. traditam. Scilicet praevidit, fore aliquando, ut nonnulli veri ejus cultores, simplices tamen atque minus perspicaces, in judicio suo de eo, quod utile sit, rebus magis externis, quam ratione ducti, haud sine magnâ tristitiâ animadverterent, in regno Messiae sive in Ecclesiâ Christianâ inter veros Dei Jesuque cultores reperiri etiam tales, qui specie tantum rei Christianae sint addicti, cum, re verâ, ipsis nihil nisi nomen cum hac commune sit, quippe a verâ virtute prorsus alienis, civibusque rei Christianae adversariis. Quae res Christianis illis sinceris atque simplicibus dubitationis ansam praebere posset, utrum non foret melius, reique Christianae magis conduce-

ret,

ret, si falsi isti Jesu cultores e regno Dei h. e. ex Ecclesiâ ejicerentur, immo adhibitâ vi prorsus exstirparentur. Hoc itaque est, quod, si quid video, Servator utrâque hac sectt. 27 et 28. proponere voluit, Cui quidem dubitationi sectionibus seqq. 29 et 30. occurrit. Ibi enim docet, Deo minime placere hujusmodi consilia, quibus homines, praejudicatis suis opinionibus ducti, alii alios, religionis causâ, opprimant, sed velle eum, ut in Ecclesiâ Christi boni ac mali cives ad certum tempus, sc. in hujus vitae terrestris periodo, mixti inter se maneant, et quidem sapientissimas propter rationes: nempe ne inde respublica Christiana majus capiat detrimentum et vincula rumpantur, quibus homines, in societate humanâ, mille modis inter se junguntur; unde maxima incommoda, quin gravissimae calamitates, ad eos ipsos, qui hujus rei exstiterint auctores atque effectores, utut bono consilio egerint, redundarent. Itaque judicium de bonis malisque rei Christianae civibus soli Deo esse permittendum, qui suo tempore, pro uniuscujusque meritis, praemia aut poenas sit retributurus. Utinam semper Christiani hujus moniti fuissent memores! Utinam etiamnum omnes ejus recordarentur! Quae fortuna si nomen Christianum profitentibus accidisset, Ecclesiae historia non inquinata esset tam multis rerum atrocissima-

rum testimoniis, quae homine Christiano non tantum sunt prorsus indignae, sed quas horret humanitas, quasque erubesceret credere, a suâ progenie patratas, nisi Historia, veritatis testis, hujus rei certissimam faceret fidem. Nec etiamnum, proh dolor! in multorum Christianorum animis tam alte haererent ista odii ac persecutionis religiosae semina, quae nisi falce premerentur hic ibi laete excrescerent. Sed gratulemur temporum felicitati, quid dico, gratias agamus summo illi rerum terrenarum Moderatori, quod odium istud ac persecutionis religiosae studium apud multos jam defervescere coeperit! Quod ut effectus esset promotae inter homines, Christianum nomen prae se ferentes, religionis sanctissimae cognitionis ac studii, valde optaverim, sed vereor, ne apud multos omnis potius religionis contemtus hujus rei causa existat. Sed video procul me a scopo aberravisse, ac magis forsan, quam par sit ingenio indulsisse meo, quem si lectores etiam mihi indulgeant errorem, habeam quo gaudere valde possim. Itaque, ut ad propositum revertamur, manifestum ex antea dictis videtur, sectt. 27 et 28. arcte cum sectt. 29 et 30. esse junctas, non tantum, quod ad orationis formam, quod STORRIO Viro doctiss. lib. et § 1. placere videtur, sed etiam rei significatae ratione habitâ, cum qua omnino narratio, sectt. 27 et 28. proposita, similitudinem

ha-

habet, si illam spectes partem, quam supra memoravimus, quamquam rei significatae partem praecipuam inesse sectt. 29 et 30., lubenter confitemur.

Eâdem ratione in parabolae, quam proponit Servator, Luc. cap. XIV. 16. seqq. explicatione (sect. 24.) illam tantum attingit partem, quae praecipuo suo scopo inserviat: sc. ut Pharisaeum illum, qui sect. 16. *beatum praedicaverat eum, qui in regno Dei pane vesceretur*, doceat, eos tantum inter Judaeos beatae illius sortis, in Dei regno consequendae, fore participes, qui rerum terrenarum studio non adeo tenerentur, ut sibi, Patris Coelestis ministro, ad veram salutem felicitatemque, in regno Coelesti, fruendam, eos vocanti non obtemperarent, bonaque praestantiora prae rerum viliorum amore negligerent atque aspernarentur. Hic, nisi egregie fallor, praecipuus propositae parabolae fuit scopus. Sed sunt alia scopo huic primario arcte juncta, quae item in imagine seu fictâ narratione docentur: de vocandis sc. ad salutem *portitoribus et scortis* (sect. 21.) Vid. Matth. cap. XXI. 31. seq. et cap. XXII. 10. ac deinceps *Ethnicis*, extra Judaeam degentibus (sect. 23. coll. sectt. 21 et 43.) (*). de quibus in bre-

(*) De sensu sectt. 21 et 23. consulatur STORRIUS, *Opusc. Acadd.* Vol. I. Diss. II. § 14. pag. 121. init.

brevi suâ ἀποδόσει, sect. 24. nihil speciatim monuit Servator, cum, intellecto hujus parabolae scopo praecipuo, Pharisaei, quibuscum, in domo istius Pharisaeorum praefecti, ad mensam accubuerat, caetera, nisi admodum essent hebetes, facile essent intellecturi.

Caeterum egregie nobiscum hac in re consentit GOMARUS, *Operum*. Tom. I. P. I. p. 105. med. qui omnino est consultandus de Parabolae *ovis perditae* expositione, Luc. cap. XV. sect. 7. nec non de Parabolae, de *vineâ* explicatione, quae in V. T. libro ESAÏAE, cap. V. sect. 7. a Prophetâ proponitur. Referri huc etiam possunt Parabb. quas proponit Servator, Matth. cap. XVIII. sectt. 23—35. cap. XX. sectt. 1—16. et Luc. cap. XVI. sectt. 1—9. Et huc quoque pertinent, quae, in hanc rem, disserit idem GOMARUS, Opp. Tom. I. p. 105. a med. "*Denique, quemadmodum non omnia, quae in parabolis continentur, in expositione parabolae in Scriptura exposita sunt, neque exponi a nobis debent, sic etiam non omnia, quae similia sunt in parabolâ et ad expositionem plenam sunt conferenda, in expositione illius semper exprimuntur, sed saepius primaria tantum capita, ex quibus reliqua, examine adhibito, non difficulter colligi intelligi ac explicari possint.*" Quae GOMARI animadversio deinceps exemplis ab ipso illustratur.

§ 30.

§ 30.

Obſervatio XV.

Niſi manifesta indicia adſint, Servatorem, diverſis parabolarum imaginibus: eandem plane rem docere voluisſe, integrum esſe interpreti haud videtur, alteram cum alterâ confundere; ſed, adhibito ingenii acumine, non ultra terminos justae interpretationis vagantis, ex utrâque vel e pluribus ei eruendum est illud, quo altera ab alterâ differat. Video, multos interpretes (*) in utrâque parabolâ, quae occurrit Matth. XIII. ſectt. 31, 32, et ſect. 33. eandem fere quaerere doctrinam, de parvis, ſcilicet, quas res Christiana habitura esſet initiis, non obſtantibus, quominus aliquando longe lateque, ramoſi fruticis ſeu arboris ad inſtar, per varias terrae regiones diffunderetur; quibus aſſentiri, pro noſtrâ qualicunque perſpicientiâ, nondum posſumus. Haud facile enim inducimur, ut credamus, Servа-

(*) Hugo Grotius, *in Comment. ad. h. l.* Chrysostomus, in Matth. XIII. Catena 65 *Graecorum Patrum in Lucam* edita a Balth. Corderio, p. 354. in *annotat.* Klinkenberg, in *Comment ad h. l.* E. M. Dorper, in Diſſert. Exeg. Theol. *de notione formularum* βασιλεία τῶν οὐρανῶν, allique.

vatorem nostrum, in eâdem orationis serie, eandem plane, per plures parabolas, doctrinam, idem prorsus placitum proposuisse, nisi, ut antea diximus, hujus rei manifesta indicia adsint, veluti Luc. XV. ubi ex illo ἤ, sect. 8. manifestum fit, Servatorem, inde a sect. 8—10. quamquam sub aliâ imagine, eandem plane rem in mente habuisse, quam inde a sect. 4—7. Scilicet Servator isto loco id egit, ut sese a contumeliâ Pharisaeorum ac legisperitorum (sect. 2.) defenderet ac, cur eo, quo isti offendebantur modo, ageret, redderet rationem. — Huic accedit, quod Lucas non, ut Matth. XIII. sect. 3. dicat: καὶ ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλὰ ἐν παραβολαῖς, sed ἔλεγε δὲ πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν ταύτην (sect. 3.); ne dicam e consilio dicentis, quod modo indicavimus, haud leve pondus nostrae sententiae accedere, unde etiam parabola, sect. 11—32. proposita, nobis uberior tantum mentis Jesu, quam jam in duabus praecedentibus parabolis explicaverat, sub alius imaginis formâ, declaratio est (*). Similiter parabolae, quae

(*) Vid. THEOD. HASAEI, *de nonaginta novem justis diss.* § 29. p. 104. *inserta Bibl. Brem.* Class. I. Fasc. II. Dissert. 4. De consilio parabolae *filii prodigi.* Vid. EWALD, *der Blick Jesus auf Natur, Menschheit und sich selbst.* p. 339. et AND. GRAY, *Vorlesungen über die Gleichnissreden unsers Heilandes*, p. 418, 419, 422, 425.

quae leguntur, Luc. XIV. sect. 28—30. et 31—33. inter se cohaerent, particulâ illâ ἢ, utrique interpositâ, unde apparet, Servatorem nostrum eandem plane admonitionem, utrâque parabolâ, injungere voluisse, quodetiam liquet ex ἀποδόσει, quam utrique parabolae sect. 33. subjungit; quamquam inficias ire nolumus, utrique imagini inesse leves quosdam ductus, quibus diversae quidem a se invicem notiones spectantur; quae vero arctissimo vinculo cum notione seu admonitione praecipua, quae in utrâque est eadem, junctae sunt. Sic, nisi forte cuipiam nimis videar argutus, notiones τοῦ οἰκοδομεῖν in priori et τοῦ πολεμεῖν in posteriori parabolâ varios et a se invicem diversos τῶν μαθητῶν Jesu labores indicant, quippe quibus non tantum incumberet, τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ οἰκοδομεῖν, eam *aedificare* ac veluti fundamenta ejus ponere, quod quidem opus foret jam maximi laboris, propter materiam, unde id aedificium exstrui deberet, adeo diversam, h. e. propter Judaeorum ac gentilium diversam prorsus indolem; sed quibus *dimicandum* quoque cum summis foret periculis, quae ab utrisque ipsis intenderentur, immo cum continuo mortis discrimine, quod ipsis immineret; quid dico, quibus luctandum foret cum affectibus sensibusque animi tenerrimis, εἴ τις ἔρχεται πρὸς με καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα καὶ τὴν γυναῖκα, καὶ τὰ τέκνα, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς

καὶ τὰς ἀδελφὰς ὅτι δὲ καὶ ἑαυτοῦ ψυχὴν, οὐ δύναται μου μαθητής εἶναι, καὶ ὃς οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου οὐ δύναται μου εἶναι μαθητής. (sectt. 26 et 27.) et sect. 33. οὕτως οὖν πᾶς ἐξ ὑμῶν ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσι οὐ δύναται μου εἶναι μαθητής. Sed alia plane est ratio parabolarum, mox e Matth. Euang. cap. XIII. laudatarum; nullum enim occurrit indicium, e quo colligas, eandem rem utrique imagini subesse; contra *alteri* praemittitur formula ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, *alteri* ἄλλην παραβολὴν ἐλάλησεν αὐτοῖς, quamquam nonnulli codices, a GRIESBACHIO memorati, pro ἐλάλησεν etiam praebent lectionem παρέθηκεν. Quod tamen *vel* scioli alicujus librarii importunam diligentiam redolet, *vel* propter praecedens illud παρέθηκεν, (sect. 31.), quod memoriae adhuc inhaerebat, negligenter scribenti excidit. Ut autem sententiam, quam sumus amplexi, teneamus, suadet quoque loquentis consilium, quod aliud plane fuit, quam Luc. XV. cap. Ibi enim contumeliam a Pharisaeis sibi illatam, depellere tantum voluit, hîc universe hominum turbas discipulosque suos regni sui docere rationem. Sed missis his externis veluti indiciis, sunt quoque interna quaedam, quae nostrae, ut videtur, sententiae prorsus faveant, quae, ut magis percipiantur, paucis utramque parabolam exponemus. Itaque in priori parabolâ *regnum Coelorum* (hoc est Ecclesia Chris-

Christi, latiore sensu seu civitas Christiana) similis dicitur *grano sinapis*. En duae res varii generis, quas inter certa quaedam similitudo intercedit. Jam vero videndum, quibusnam rebus haec similitudo constet. Ut igitur agricola granum sinapis in agro seu horto suo (*non alieno*, quod ad vim parabolae recte intelligendam bene tenendum est) serit, sic Christus, rei Christianae auctor, hanc quoque in mundo, latissimo veluti agro, sevit, h. e. hominibus, in hoc mundo viventibus, doctrinam suam tradidit. Quod autem in parabolâ dicitur de ἀγρῷ ἑαυτοῦ, id eo valet, ut intelligamus, mundum atque adeo homines in mundo viventes suum esse peculium, in quod jus habeat agendi, ut agricola in agrum suum (Joan. I. sectt. 3—11.) Ut porro *granum sinapis* vel minimum est, non omnium omnino seminum, quod rerum experientiae repugnaret; sed eorum, quibus Judaei vel omnino Orientales in οἰκονόμιᾳ suâ utebantur, sic quoque rei Christianae parva omnino et exigua esse initia, nil eam habere, quod externâ suâ specie alliciat, si comparatio instituatur eam inter et caetera Dei, ad hominum salutem, instituta; ut fuere olim auspicia oeconomiae Mosaicae, et omnino omnia, quae Deus identidem, providentiâ suâ, ad restaurandam, inter Judaeos, in deterius lapsam religionem veram externumque ejus cultum, procuravit.

Dein-

Deinde, ut grani sinapis exigua magnitudo non obstabat, quominus ex eo *frutex* excresceret, *amplitudine sua* inter cuncta olera *conspicuus*; sic neque parva rei Christianae initia impedimento fore, quominus *longe lateque* aliquando, per terrarum orbem, terminos proferret, atque doctrina Christiana *multis nationibus* innotesceret (*). Nec hae-

(*) Doctissimus EILERT, in libro eleganter scripto: *Homilien über die Parabeln Jesu*, caet. nobiscum summatim in prima Hom. I. parte consentit, quamquam inde a pag. 11. aliam ex hac parabola doctrinam derivat, verum quidem illam in se spectatam et apte omnino ac eleganter expositam, sed nimis, ut nobis videtur, quaesitam, neque consilio Servatoris nostri consentaneam. Hac autem animadversione negare nolumus, aptam esse hanc parabolam, ad rem, quam praecipue tractat Doctiss. EILERT, proponendam; sed ut a bono interprete merito rejicitur interpretandi ista regula: *verba significant, quidquid significare possunt*; sic neque ullus interpres, qui non interpretis *nomen* tantum sed et *omen* habet, admittat: *parabolas significare, quidquid significare possint*. Eandem hanc observationem pertinere quoque putamus ad Homiliam II. Sed judicent doctiores, neque est, quod nos exercitatiori forsan EILERTII judicio, ejusque, in interpretandis Jesu parabolis, sollertiae vel quidquam detrahamus. — Vid. quoque HEUMANN, in Luc. XVI. sect. I. pag. 231. fin. et 232. init. vers. Belg. Huc etiam pertinent quae praeclare disseruit: F. A. KRUMMACHER, vir Cl. in lib. Germ. scripto, cui titulus: *über den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte*, § 217.

haeremus in illo ὡς ἐλθεῖν — κλάδους αὐτοῦ, cui, nostro quidem judicio, nil inest, nisi amplitudinis fruticis illius, qui e grano sinapis excrescit, venusta descriptio: id quod firmari satis posset e Luc. XIII. cap. sect. 19. dummodo lectio μέγα textus vulgo recepti satis auctoritatis haberet, et τῷ ΚΑΙ, quod immediate sequitur, significationem τῷ ΓΑΡ, ex Hebraismo, tribueremus, quod cum illo ὡς δυνάσθαι ὑπὸ τὴν σκίαν κ. τ. λ. (Marc. IV. 32.) egregie conveniret. Quod si animadvertissent veteres (*) et nonnulli etiam recentiores interpretes, non tam anxie in his similitudinem cum τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν quaesivissent. Sed haec de hujus parabolae significatione sufficiant. Pergamus ad subsequentem. In hac igitur parabolâ Societas Christiana componitur ζύμῃ κεκρυμμένῃ εἰς ἀλεύρου σάτα τρία ὑπὸ τίνος γυναικός. Ipsa imago, qua hic utitur Jesus, scenam domesticam seu aliquam vitae domesticae partem illius gentis nobis repraesentat cujus civis fuit Servator. Conspicimus enim et quasi intuemur matrem familias, Judaeam, laboriosam ac summâ diligentiâ et sedulitate rei domesticae munera obeuntem, brachiisque nudatis intensisque viribus, more apud gentem suam recepto, minimeque inhonesto, farinae certam massam

(*) Vidd. *Patres*, *in Catend* 65. *Graecorum Patrum in Lucam* a BALTH. CORDERIO editâ in Luc. XIII.

ſam manibus ſuis ſubigentem, ſubactaeque fermenti aliquid involventem.

O! aurea ſimplicitas, O! vere ſapientes, qui hanc doctoris ſapientisſimi ſimplicitatem vel eminus ſequi ſtudeant! Hac autem ſimplici itemque venustâ imagine Servator, parva rei Christianae in mundo h. e. inter homines, in mundo viventes, proponit initia: veluti fermenti illud, quod ἐνεκρύφθη εἰς ἀλεύρου σάτα τρία, exiguum quoque est, ſi cum farinae masſâ, cui inditur, comparatur. Quonam autem conſilio fermentum illud a matrefamilias inditum fuerit farinae masſae, hoc additur in parabolâ: ἕως οὗ ἐζυμώθη ὅλον, ut tota quanta fermenti vi ac ſapore imbueretur (*).

Itaque, ni prorſus fallimur, Servator, hac imaginis parte, docere voluit: Dei, utpote regni Coelestis h. e. Societatis ſibi Christoque ſacrae, inter homines auctoris, conſilium esſe, ut ſocietas haec, quae, ſuâ in origine, exigua admodum esſet futura et paucos tantum cives habitura, qui ad inſtar fermenti particulae forent, inter tot gentes atque nationes, quibus per eos doctrina Christiana innotesceret, non vi armorum, non auctoritatibus

(*) De formulâ ἕως οὗ vid. H. HOOGEVEEN, *Doctrina particularum ling. Graec.* in epit. redacta a C. G. SCHÜTZ, edit. II. *Lipſiae*, 1806. p. 234. V.

bus regum magistratuumque, non ita, ut in oculos statim incurreret propagaretur, sed ut occulte magis, absque ullo rumore, sine efficaci hominum auxilio, sensim sensimque, ut vix ac ne vix quidem animadverteretur, terminos suos proferret. Haec autem lenta ac saepius non observanda regni Divini incrementa ne quidquam impedimento futura, quominus tandem omnes, quotquot terrarum orbem incolunt, nationes, ambitu suo, complecteretur, plane ut fermenti particula, quantaecunque farinae massae immixta, paulatim, atque ita, ut animadverti nequeat, acrimoniam suam cum totâ farinae massâ communicat.

Ac mihi quidem Servator videtur hac parabolâ dubitationi occurrere voluisse, quae oriri in discipulorum suorum animis, auditâ priori parabolâ posset: θαυμασιώτατον sc. ipsis videri posset, cum tam exigua Regni Divini forent initia, ut cum grano sinapis comparari hactenus possent, illud tamen longe lateque fines suos extensurum esse (*). Hoc autem plane abhorruit a mente discipulorum Jesu, qui cogitationibus, de regno Messiae terrestri, multo splendore ac magnificentiâ conspicuo futuro, cum Judaeorum vulgo adhucdum imbuti, ejus au-

(*) Ab hac sententiâ, suo jam tempore, non alienus fuit CHRYSOSTOMUS, in Matth. XIII.

auſpicia etiam glorioſa fore, nulli dubitabant, ejusque, ut caeterorum regnorum fines, vi atque auctoritate quoque proferendos esſe autumabant. Quam cogitationem, ut ipſis adimeret, alteram hanc parabolam proponit, qua discipulos ſuos caeterosque eum audientes docet, ad Regni Divini incrementa non opus esſe vi, non armis, non auctoritatibus, quippe cujus termini non ſtatim, brevique temporis ſpatio, proferrentur; quod quidem in regnis humanis, expugnatorum victricibus armis, accidere ſoleat, ſed id factum iri paulatim, doctrinae Euangelii vi, in hominum animos efficaci, idque adeo non obſtare Regni Coelestis incremento, ut vel ſic tamen aliquando *totus terrarum orbis* ejus ditioni ſubmitteretur. Itaque his expoſitis utriusque parabolae discrimen facile animadverti posſe nobis perſuademus, quamquam inficias ire nolumus, arcto utrumque vinculo inter ſe contineri, quod vel ipſa rei ratio postulabat, conf. THEOPHYLACTUS in Matth. cap. XIII. et inprimis quoque MUNTINGHIUS in *Geſch. der Menschheid naar den Bijbel*, Part. IX. nota 121. qui egregie nobiscum conſentit in definiendo, inter utramque hanc parabolam, discrimine. Idem quoque in explicandis Parabolis Matth. XIII. 44, 45, 46. quamvis non omnino, fere tamen, eandem nobiscum profitetur ſententiam nota 122. Vidd. adhuc

quae

quae supra, Partis I. § 11. pag. 130, seq. ad Matth. cap. XIII. de his parabolis disputavimus.

Progredimur jam ad expositionem utriusque parabolae, quae occurrit Matth. XIII. 44 et 45, 46. cui item, nonnullorum interpretum judicio, eadem res subest (*). Nos autem, utramque multum a se invicem differre, arbitramur. Sic ut statuiamus inducimur *primo* utrique parabolae praemissâ voculâ πάλιν, ut enim prior, sect. 44. hac voculâ distinguitur a praecedenti, cujus argumentum ab illius argumento prorsus differt, sic quoque, eodem plane modo, posterior, sectt. 45 et 46. a priori diversâ indicatur. *Secundo*, cum utriusque formam parabolae externumque earum habitum ac rationem accurate consideremus in nostrâ hac de re sententiâ magis adhuc confirmamur. Negare quidem haud possumus, utramque habere, quae inter se omnino conveniant, quibusque eadem plane res doceatur; hoc autem minime obstat, quominus multa etiam utraque habeat ac significet a se invicem prorsus diversa. Utriusque brevi expositione id illustrare conabimur. Itaque (dicemus enim nostram sententiam, aliorum summorum interpretum opiniones minime ut falsas rejicientes; nam errandi periculum, quis est qui alienum a se pu-

(*) Vid. EILERT, *lib. laud.* Hom. III.

putet, nedum is, cui via quasi calcanda est haud multum trita ac multos habens calles, qui alio divergunt, atque itineris incertum in errorem facile ducunt) priore igitur illâ parabolâ Servator docere discipulos suos videtur: doctrinae Coelestis praestantiam, ejusque, ad homines felices beatosque reddendos, egregiam indolem ac summam efficaciam, primo non animadversam ac veluti occultam, aliquando etiam, ac casu veluti fortuito perspectum iri ab hominibus, quarumvis rerum potius, quam doctrinae Coelestis verae indolis ac rationis indagandae, studiosis, occupatis quippe implicitisque fere variis hujus vitae negotiis, atque adeo a sapientiae studio alienis, ut vulgus hominum et homines de plebe esse solent. Hos autem ingenio parum exercitatos, simplici tantum veritatis sensu praeditos et dialecticorum, qui falso sic dicuntur, ac sophistarum fallaciis haud initiatos admonet, ut de doctrinae Coelestis praestantiâ persuasionem, scintillae ad instar animo foveant augeantque ac summâ cum curâ caveant, ne nimis suam persuasionem crepando, apud homines veritatis lucem fugientes, ac suorum tenebris errorum elatos, in discrimen veniant, blandis ac fallacibus horum dictis ac veluti incantamentis, de religionis Christianae praestantiâ dubitandi, atque hac ratione salute, quam hominibus, eam fide amplectentibus, praebet,

des-

destituantur. Huic monito si obtemperarent fore, ut certa haec persuasio hunc in eorum animis habeat effectum, ut lubenter omnia hujus vitae commoda, omnes, quas vulgus hominum captat, voluptates, gloriam atque honores missa faciant, cum hoc pretio, salutis, quam offert Euangelii doctrina, fructus percipere ipsis liceret. Atque hunc omnino animum in homine requiri, qui salutis cupiat esse participem, simul indicat Servator.

Posteriori vero parabolâ, Servatorem nostrum discipulos suos docere voluisse, credimus: fore ut doctrinae Coelestis praestantia agnoscatur quoque ab hujusmodi ingeniis, quae sapientiae studium profiteantur, ac, quid in re quaque verum aut falsum sit, summâ cum diligentiâ indagare, annitantur; quae rectâ ratione utentia, et veritatem unice spectantia, quorumvis disciplinas doctorum, qui sapientiae laude inclaruerant, eam ut inveniant, studiose excutiant; simili fere modo, quo mercator, qui margaritis emendis occupatur, sedulo pretiosissimas quasque, undecunque conquirit, nulla itinerum, terrâ marique, discrimina, nullos reformidans labores. Hos igitur sapientiae ac veritatis studiosos, cognitâ doctrinae Coelestis praestantiâ, ac percepto, quod in eâ refulget, veritatis lumine, tam cupide eam amplexuros, tam toto in eam latum iri animo, ut huic deinceps unice

ſtuderent, cunctis philoſophorum disciplinis, quantumvis veri in iis reperiatur, hanc antepone-rent; omnes ingenii animique vires penitiori ejus cognitioni impenderent, ac lubenter, quidquid antea, in caeteris disciplinis, veri ſpecie, eos allicuisſet, cum veritate ipſâ, prouti ſimplici ſuo ac quaſi nativo cultu habituque in doctrinâ Coelesti apparet, commutarent; neglectis, quae vel aliena ſint a disciplinae Christianae praeſtantiâ, vel a praeceptorum, quae illa inculcat, obſervantiâ abducant. Sic quoque mercator, qui margaritas pretioſas emturus peregrinas adit regiones, cum in unam inciderit eximiam ac pretioſisſimam, caeteras misſas facit, nec haeſitat, quin quidquid posſideat, utut pretioſum alioquin atque egregium, ipſasque adeo minoris pretii margaritas, quas in thecâ ſuâ, circumfert, vendat, eximiam illam margaritam emturus, quippe perſuaſum ſibi habens, multum ex eâ lucri in ſe redundaturum. His ita expoſitis, ſatis nobis videmur oſtendisſe utriusque parabolae diverſum argumentum ſignificationemque diverſam. Summus quoque GROTIUS in *Comment ad h. l.* in nostram ſententiam ire videtur. Ad ſect. 45. enim: "*Doctrina Euangelica* inquit *quibus-*
„ *dam affulſit, neque de Deo, neque de vitâ*
„ *emendandâ, neque de ſpe vitae alterius quid-*
„ *quam cogitantibus, quales erant plerique in*
„ *gen-*

„ *gentibus externis, quibus illud vaticinium*
„ *Paulus aptat:* " " inventus sum non quaeren-
„ „ tibus me." " *Erant et sapientiae studiosi*
„ *inter Judaeos atque alibi, qui veritatis cog-*
„ *noscendae desiderio quodam tangebantur, quin*
„ *Prophetam aliquem, aut ipsum etiam Messiam*
„ *avidis animis exspectabant. Priores respicit*
„ Thesauri *comparatio, posteriores ista de uni-*
„ *one.*" cf. MUNTINGHE, *libro locoque laud.*
Nota 122.

---

§ 31.

Observatio XVI.

In proponendâ narratione, quae parabolâ continetur, Servator saepius variis utitur περιστάσεσι, *quae, ad rem significatam bene intelligendam, non seorsim, sed junctim omnino spectari debent.* Hae enim περιστάσεις variae nullo alio a Servatore adhibentur consilio, nisi, ut res significata eo efficacius sese prodat et facilius intelligatur (*). Sic v. c. in

(*) Cf. EILERT, *Homiliën über die Parabeln Jesu.* Vorrede pag. 61. seq. et J. S. HESZ, Leer, *Daden en Lotgevallen van Jezus.* Zesde Afd. p. 219. E. G. WINKLER, *lib.*

in parabolâ, Luc. XIII. 18, 19, 20. variae illae excusationes, quibus invitati ad lautum illud convivium, de quo sect. 16. est sermo, hoc unum intendunt: Judaeorum proceres, rerum terrenarum atque sub sensus cadentium studio, prohibitum iri, quominus Jesu doctrinam, qua regni Coelestis privilegia horumque obtinendorum via ac ratio proponebatur, verâ fide amplectantur; quo fieret, ut arcerentur quoque a fruendis hujusmodi bonis, quibus omnia hujus vitae bona atque commoda, carissima etiam, postponere fas erat. Itaque non est, quod quis quaerat, quid per *agrum* illum (sect. 18.) quid per *quinque* illa *boum juga*, (sect. 19.) quid denique per *uxorem* (sect 20.) memoratam intelligendum sit? Quod si animadvertissent Patres veteres Ecclesiastici aliique interpretes, non tantum ante repurgata, inter Christianos Sacra, sed seculo quoque proxime elapso, eos secuti, ii in primis, qui e COCCEJI scholâ prodierunt, ingenio suo, in explicandis Jesu parabolis, non tan-

lib. laud. p. 201. Valet huc quoque quod de narranda re disserit CICERO, *de Orat.* II. 80. § 328. "*Sed et festivitatem*" inquit "*habet narratio, distincta personis et interpuncta sermonibus, et est probabilius, quod gestum esse dicas, cum quemadmodum actum sit exponas, et multo apertius ad intelligendum est, si sic consistitur aliquando, ac non istâ brevitate percurritur.*"

tantopere indulsissent, ut ridicula fere et omnino futilia quaeque Jesu menti affinxerint; incomparabilem doctoris praestantissimi sapientiam metientes ad istius normam philosophiae, cujus praecipua vis in distinctionibus subtilissimis atque argutiis omnino vanis, nulliusque momenti cernebatur, quae tum et postea adhuc diu plurimorum interpretum animos occupaverat, cujus rei exemplum unus ante omnes dabit S. AUGUSTINUS, *de verbis Domini*, Serm. 33. ad Luc. XIV. sect. 19. cujus de hac sectione explicatio satis est ingeniosa, dummodo vera esset. Lubet eam in gratiam lectorum, hoc loco, describere: "*quinque*" inquit "*juga* „ *boum, sensus carnis, hujus quinque numeran-* „ *tur. In oculis visus, in auribus auditus, in* „ *naribus odoratus, in faucibus gustus, in om-* „ *nibus membris tactus. Sed quia* (cur) *juga* „ *sunt, in tribus prioribus sensibus facilius ap-* „ *paret. Duo sunt oculi, duae aures, geminae* „ *nares; ecce tria juga: et in faucibus, id est* „ *sensu gustandi, geminatio quaedam invenitur,* „ *quia nihil gustando sapit nisi linguâ et palato* „ *tangatur. Voluptas carnis, quae ad tactum* „ *pertinet, occulte geminatur, est et forinsecus et* „ *intrinsecus. Dicuntur autem juga boum, quia* „ *per sensus istos carnis terrena requiruntur;* „ *boves enim terram versant, homines autem re-*

 „ *mo-*

cipiat, quae huic conditioni sunt adstricta: veluti libertas a peccati servitute, peccatorum remissio, ac salutis aeternae spes firma atque inconcussa (*).

Sic quoque, quae habentur in parabolâ, quae occurrit Luc. XVI. sectt. 5—7. nil aliud spectant, quam ut demonstrent *iniqui* istius *dispensatoris* calliditatem ac versutiam in avertendo, quod sibi immineat, malo, cum a dispensatoris munere esset amovendus. Quae res eo consilio a Servatore nostro proponitur, ut inde exemplum petant homines divites, suo tantum genio indulgentes, aliorum hominum commodum ac utilitatem negligentes, ad miseriam humanam, suis facultatibus, pro re natâ, vel paululum sublevandam, nil prorsus tribuentes ac fere injusti, quo edoceantur, quid ipsis, in re graviori, faciendum ac quantâ cautione ipsis opus sit, ut, datâ adhuc potestate, saluti suae prospiciant, ac miseriam depellant, quae, emenso hujus vitae terrestris spatio, hujusmodi homines luxuriosos immisericordes ac injustos, futurâ in vitâ, maneat (†).

Ea-

(*) Vid. ELSNERUS, in *Bibliothecam Brem.* class. III. p. 988. seqq.

(†) Vid. HEUMANNUS, in *Expositione N. T. ad h. l.* P. I. p. 200. secutus CHRYSOSTOMUM, quem citat, itemque GROTIUS, in *Commentatione ad h. l.*

Eadem est ratio operariorum a patrefamilias Matth. XX. sectt. 1—6. primo *mane*, deinde circa *horam tertiam*, post circa *septimam*, *nonam* ac *undecimam* conductorum, per quos non intelligendi, ut nonnullis interpretibus placuit, Ecclesiae ministri, diversis N. Foederis temporibus, a deo missi, ut ad Ecclesiae communionem, homines vocent (*); neque etiam, quae aliorum est sententia, ipsi homines, diversis mundi periodis, ab *Enocho* et *Noë*, ab *Abrahamo*, *Mose*, *Prophetis*, ab *Apostolis* denique, eorumque successoribus, *Ecclesiae ministris*, ad Ecclesiae communionem, vocati; nec quoque, quod aliis placuit, homines sub N. F., Euangelii annunciatione, variis item periodis, ut, quae incipit cum praeconio *Joannis Baptistae* et *Christi*, quae deinceps secuta est, tempore *Constantini magni*, *Waldensium*, *Wiclefi*; *Reformationis per Lutherum* et *Calvinum* promotae, et ultimo tandem oeconomiae N. F. articulo, ad regni Coelestis societatem vocati (†). Neque etiam opus est speciatim

(*) Vid. SCHRAMMIUS, in *Commentatione de hac parabolâ*, *insertâ Biblioth. Brem.* class. V. Fasc. IV. pag. 663. seqq. aliosque quos citat WOLFIUS, in *Curis Philoll. et critico.* Tom. I. p. 289. seqq.

(†) Vid. THEODORUS HASAEUS, in *Commentatione ad hanc*

tim cogitare de diversis gentibus, diversis temporibus, ad communionem regni Christi vocandis, diversâque mercede ornandis; sed omnino considerandus est scopus atque consilium, quod Servator, proponendâ hac parabolâ habuit; scilicet, ut oppugnaret, et si pote e mente discipulorum suorum penitus evelleret perversam illam Judaeorum, qua adhucdum imbuti quoque erant ejus discipuli, opinionem, de salute aeternâ, virtutis bonorumque operum mercede *meritâ*, cum tamen illa, docente Servatore, adipiscatur *gratuitâ Dei voluntate*. Consilium autem illud ex occasione, qua hanc parabolam proposuit, discernendum est. — Audierat nempe Petrus, Jesum juveni isti, qui ex eo quaesiverat: *quid boni facturus esset, ut vitam adipisceretur aeternam*, respondisse: *legis praecepta ab eo esse exsequenda*. Quae cum omnia inde a pueritiâ exsecutum esse ille sese profiteretur, et quid amplius adhuc faciendum sibi restaret, quaereret, dixit ei Jesus: *si vis esse perfectus, i venditum facultates tuas, inque pauperes erogato, habiturus in coelo thesaurum; deinde adesto et me sequere*. Quod Jesu consilium, cum non place-

hanc parabolam, *inserta Biblioth. Brem.* classf. V. Fasc. IV. Dissert. VI. § VIII. p. 669. seqq. qui nonnulla habet lectu digna.

ceret isti juveni, quippe facultatibus suis, quas multas habebat, nimis adstricto, tristis abiit. Petrus autem, audito hoc Jesu monito, ut erat animo fervido, pro se suisque condiscipulis e Jesu quaerit: *quid ergo nos assequemur, qui omnia reliquimus, teque sumus secuti?* Jam vero Jesus, qui sincerum simplicemque ejus animum norat, quique bene sciebat, hanc ejus quaestionem non elati animi esse fructum, ei, omnibusque ei similibus magna quaeque, in vitâ futurâ, ipsamque adeo salutem aeternam promittit. Ne autem Petro caeterisve ejus discipulis, aliisque nomen ejus professuris, hujusque nominis causâ vitae commoda, divitias, familiaeque societatem neglecturis, cogitatio obreperet de merito, quod huic rei inesset, ac de mercede, quam ipsi, prae caeteris, hanc ob rem meruissent, adeoque se ipsi magnopere prae aliis efferrent: addit Jesus illud παραδόξον cap. XIX. sect. 30. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι καὶ ἔσχατοι πρῶτοι, quod ut melius intelligerent discipuli, explicationis causâ, addit parabolam, quae sequitur cap. XX (*). Docet igitur Servator hac parabolâ, in praemiorum distributione, Christi secta-

to-

(*) Cf. ED. LEIGHII, *Anott. Philoll. et Theoll. in N. T.* ad hujus cap. sect. 1. GOMARUS, *Opp. Tom. I. in hujus loci explicatione*, pag. 94.

quisque minam. Neque
parabolâ commemorant
pem repudiantes, ab
Usi sumus verbis κτ
ille Cl. haec ita explic
tris ipsorum verbis,
autem nostrâ qual
quoque, nos tamen
quae sect. 26, in L
quem parabola lo
Jesu verbis habe
αὐτῷ κύριε ἔχει δέκα
quoque manifes
sis suppleri p
biali dicto fe
mile fere esse
Jesus ἀποδοσ
men vel fi
εἶπε, ἀλλὰ
cf. quoc

h

[illegible]i socii atque subditi sese praestiterint, [illegible]bitâ ratione partium, quae ipsis fuerint [illegible]itae; sive molestiarum, quibus, exsequen- [illegible] munere atque officio, fuerint expositi; seu [illegible] minusve diuturni temporis, quo, tanquam [illegible] regni cives, operam suam praestiterint, hos [illegible] omnes *sine discrimine*, felicitate, veris [illegible] probis hujus regni civibus promissâ, fore [illegible]dos; eâdem ratione, qua in parabolâ, qui di- [illegible] diei tempore ab hero, operae in vineâ prae- [illegible]ae, erant conducti operarii, quique, diverso [illegible]do ac diversâ rerum et temporis opportunitate, [illegible]ram suam praestiterant, idem tamen laboris [illegible]emium acceperint. Quod autem attinet ad se- [illegible]entia, quae a Servatore huic formulae addun- [illegible]r: Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, proverbialis [illegible]cti formam haec prae se ferunt, et vero admodum [illegible]mile est, fuisse haec Judaeis trita. Recurrit hoc [illegible] su dictum cap. XXII. sect. 14. in fine parabolae [illegible]egis, *filio suo convivium parantis*. Pertinent [illegible]tem haecce proverbia seu adagia ad ἐπιπόδιον ge- [illegible]us, quibus aliquando, ad parabolarum suarum [illegible]ntelligentiam, auditoribus aditum patefecit Jesus. Utroque autem loco, quo hoc, de quo loquimur, proverbiale dictum, occurrit, alio a Servatore adhibetur consilio et alia hinc ei subest sententia. *Priori*, Servator respicere videtur illud promis-

sum,

toribus, extremi die judicii, conferendorum, omnia unice a divinâ gratiâ esse repetenda, ut non adeo ratio habeatur, utrum quis plures an minores labores, in profitendâ ac defendendâ religione Christianâ, hujusque praeceptorum exsecutione, perpessus fuerit; utrum diutius, an vero minus diu ad Christianae rei communionem admissus fuerit; sed unice id spectetur, num eos labores easque aerumnas, ad quas divina eum providentia, pro profitendo Christi nomine, vocaverit, constanti ac fideli animo pertulerit; num, per id tempus, quod in regni Coelestis societate vixerit, officia sua, ut hominem decet Christianum, praestiterit, sive, per rerum adjuncta, horum officiorum praestandorum ratio molestior ac difficilior fuerit seu minus. Omnes igitur, qui fideles se gesserint Dei ministros, in suâ quemque vocatione, fore beandos, ac, pro divinâ gratiâ, aequali praemio, h. e. salute aeternâ, donandos; ὅτως (γὰρ) ἔσονται οἱ ἔσχατοι πρῶτοι καὶ οἱ πρῶτοι ἔσχατοι. Scilicet additâ hac particulâ ὅτως Servator indicare videtur, quo sensu formulam, sect. 30. cap. praecedentis obviam, quam, proponendâ sequenti parabolâ, illustraverat, quamque repetiit in fine hujus parabolae, intelligi ab auditoribus vellet. Nempe, quod ad salutem, Regni Coelestis societate, adipiscendam attineret, omnes, quotquot fideles atque obedientes hu-

hujus regni socii atque subditi sese praestiterint, nullâ habitâ ratione partium, quae ipsis fuerint demandatae; sive molestiarum, quibus, exsequendo suo munere atque officio, fuerint expositi; seu magis minusve diuturni temporis, quo, tanquam hujus regni cives, operam suam praestiterint, hos inquam omnes *sine discrimine*, felicitate, veris atque probis hujus regni civibus promissâ, fore beandos; eâdem ratione, qua in parabolâ, qui diverso diei tempore ab hero, operae in vineâ praestandae, erant conducti operarii, quique, diverso modo ac diversâ rerum et temporis opportunitate, operam suam praestiterant, idem tamen laboris praemium acceperint. Quod autem attinet ad sequentia, quae a Servatore huic formulae adduntur: Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ, proverbialis dicti formam haec prae se ferunt, et vero admodum simile est, fuisse haec Judaeis trita. Recurrit hoc Jesu dictum cap. XXII. sect. 14. in fine parabolae *Regis, filio suo convivium parantis*. Pertinent autem haecce proverbia seu adagia ad ἐπιμύθιον genus, quibus aliquando, ad parabolarum suarum intelligentiam, auditoribus aditum patefecit Jesus. Utroque autem loco, quo hoc, de quo loquimur, proverbiale dictum, occurrit, alio a Servatore adhibetur consilio et alia hinc ei subest sententia. *Priori*, Servator respicere videtur illud promissum,

ſum, Petro rogante, discipulis ſuis factum, ſect. 28. de eximio, ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, in ipſos, prae caeteris, conferendo praemio; quod autem promisſum, ne ad fastum atque erigenda ſupercilia eos excitaret, ſtatim ſect. 29. addit, etiam alios quoscunque ſui ſectatores, qui, pro regni Divini civitate et felicitate in eâ adipiscendâ, res atque rationes humanas deſpexerint atque ſpreverint, quandocunque et quam remotisſimis quoque temporibus id accideret, *ſimili modo*, eximiâ felicitate fore beandos, ita, ut non minus felices ſeſe ſentirent, quam ipſi Apostoli, ad tantum, in regno Coelesti, honoris fastigium, ipſo Jeſu promittente, evehendi. Ne autem crederent Apostoli ad ſummum hunc honoris in regno Coelesti gradum ſe adſcenſuros. niſi quoque in eodem ſtudii et amoris erga eum ardore perſeverarent; et, ut ad perferendas quascunque molestias, quibus deinceps pro defendendâ et propagandâ re Christianâ forent exponendi, in antecesſum jam et quaſi e longinquo eos adhortaretur, ne animo aliquando deficerent nec, in opere ſuo praeſtando, negligentes evaderent, addit parabolam: *de hero in vineam ſuam operarios conducente*, in qua, tanquam in ſpeculo intueri posſent discipuli, non omnes, quos, rerum et opportunitatum habitâ ratione, eximio honore dixeris in regno Coelesti esſe condecoran-

randos, seu, qui ipsi magnifice de opere suo cogitarent ac propterea majori, prae caeteris, praemio ornandos sese existimarent, non omnes inquam hujus *eximii* honoris fore participes, sed alios quoque, pari cum ipsis ratione, praemio afficiendos, quos hominum judicium minore praemio dignos existimasset; Deo, quippe omnium rerum scientissimo, aliâ ratione judicante atque homines, quorum scientia ab omni parte est circumscripta et arctis limitibus definita. Hac igitur parabolâ formulam istam, cap. XIX. 30. ei praemissam, tanquam luculento exemplo, illustravit Jesus. More autem apud Judaeos recepto, ut monuit SCHÖTTGENIUS, in *Horr. Hebrr. ad h. l.*, proverbiale illud dictum, de quo quaerimus, repetiit; quo, si quid videmus, id fere innuere videtur Servator: "*Quamvis autem vobis*, „ *discipulis mei! tantum fidei et constantiae vestrae, in re meâ peragendâ, praemium, idque,* „ *prae caeteris meis sectatoribus, eximium, promiserim, id semper in animo et quasi continue* „ *ante oculos habetote*, plures *quidem* felicitate in „ regno Coelesti fore beandos, *sed* paucos *admodum atque raros eos futuros, qui* eximio honore „ *ac praemio, pro egregiâ suâ indole, constanti* „ *fide, et in virtute praestantiâ* digni *a summo* „ *judice* existimentur. *Quocirca summo vobis* „ *in id incumbendum est studio, ut, per totum*

„ *vitae vestrae cursum, in gerendo munere et offi-*
„ *ciis vestris fungendis, tales vos praestetis, ut,*
„ *finito cursu, eximio isto honore digni censea-*
„ *mini, neque promisso vobis praemio excidatis.*"
Posteriori autem loco, Matth. XXII. 14. pro vario, quo Servator id adhibuit consilio, alia quoque proverbiali huic dicto subest sententia. Scilicet parabolâ illâ de *rege*, *filio suo convivium parante*, pinguntur Judaei, quos Deus olim per Prophetas, nuper per Joannem Baptistam, tandem, per ipsum Jesum ad regni Messiae communionem felicitatemque invitarat; quo autem successu, id jam superiori parabolâ, cap. XXI. 33—44. ostenderat; etenim quoscunque Dei legatos ignomiâ affecerant, alios crudeli morte peremerant et ipsum adeo Jesum, Messiam Deique filium interfecturi et ignominiose tractaturi erant. Sed vel sic tamen Deum filio suo, a mortuis resuscitato et ad coelestem gloriam evecto, ut, tanquam Messias, regni sui imperium capesseret, ac sollenniter id inauguraret, ad hujus regni communionem Judaeorum populum, saepius jam invitatum at pervicacem et regni Coelestis bona ac privilegia pertinaciter respuentem, invitare immo urgere non destituturum, mittendo ad eos Apostolos, qui ipsius Jesu vicem profecti, in hac terrâ, gererent. Hi, quippe Jesu et ipsius Dei legati, Judaeorum populum adhortaturi erant, ut ad melio-

liorem frugem rediret, et, quem crudeli morte interfecerant, quem vero Deus Messiam atque Regem constituerat, agnoscerent, ejusque legibus sese submitterent, et sic felicitatis, Messiani regni civibus promissae, fierent participes. Cum autem, inaugurato jam Messiae regno, legatis ad eos missis obedire noluerint ac in suâ pervicaciâ morumque pravitate, rejiciendo rege Messiâ et legatos ejus male habendo, et ignominiâ afficiendo perseverarint, poenam laturos meritam, funditus tandem eversâ urbe Hierosolymâ et Judaeorum terrâ ab hoste Romano misere ac crudeliter tractatâ, ipsis quoque aut ferro peremtis, aut in captivitatem ductis. Tum vero, neglectis Judaeis, Messiae legatos, sive Apostolos, seu quoque, qui eos subsecuti sunt, doctores Apostolicos aliosque, Messiani regni fines per totum terrarum orbem, inter gentes, a Judaeorum sacris quam maxime alienas, et Deastrorum cultui addictas, propagaturos, et ex his, sine ullo populi discrimine, cives ipsorum regi, Messiae, collecturos eosque felicitatis, in ejus regno fruendae, reddituros participes. Sic istud regnum continue incrementa capturum et, labente aevo, magis magisque terminos suos prolaturum. Inter hos autem regni Messiani cives futuros etiam esse ejusmodi homines, qui, etiamsi civium nomen adscivissent et externâ specie, ci-

vium ad inſtar, ſeſe geſſiſſent, haud tamen a Deo ac rege Meſſiâ pro veris ac probatis civibus agnoscerentur, quippe prorſus ab iis rebus deſtitutos, quae civis indolem atque rationem conſtituunt; hos autem ſuae hypocriſeos poenam certo daturos. Et haec fere ſunt, quae Servator, hac parabolâ, tanquam pictâ tabellâ, Judaeorum Sacerdotibus atque Phariſaeis prophetice propoſuit. Huic autem parabolae ſtatim ſubjungit proverbiale dictum, de quo quaerimus: πολλοὶ γὰρ εἰσι κλητοὶ κ. τ. λ. cujus quidem ſententia, habitâ contextae orationis, qua occurrit, ratione, alia, ſi quid judico, esſe non potest, niſi haec: *multi* h. e. *primo loco* Judaeorum gens omnis, et gentes deinceps deastrorum cultui addictae, ad regni Meſſiani civitatem, et bonorum ac privilegiorum, in hoc regno fruendorum, ſocietatem a Deo jam dudum *invitati ſunt* a legatis Divinis, et in posterum *invitabuntur*, Euangelii ſcilicet ad eas perlato nuncio; at habitâ gentium et hominum omnino, qui invitati ſunt, ratione, eorum admodum exiguus erit numerus, qui *cum* Euangelio obediant atque civium regni Meſſiae numero ſeſe adſcribi patiantur, *tum* in primis ita ſeſe gerant, ut civium omnino indolem animo, dictis factisque exprimant. Κλητοὶ igitur, hoc loco, ſunt omnes omnino, ad quos Euangelii nuncius perfertur, Judaei primo loco, tum vero

cac-

caeterae quoque orbis terrarum gentes. Ἐκλεκτοὶ autem sunt, qui, Euangelii nuncio obedientes, regni Messiani vere sese gesserint cives, obtemperando ejus legibus atque praeceptis. Κλητοὶ igitur isti recte dicuntur πολλοὶ, nam ad omnes omnino orbis terrarum gentes vel jam pervenit vel adhuc perventurus est Euangelii nuncius; et jure quoque ἐκλεκτοὶ dicuntur παῦροι; nam gens Judaeorum, universa, paucis tantum exceptis, Euangelii nuncium respuit, nec Messiani regni legibus submittere sese voluit; gentium quoque pars major Deastrorum cultui addicta mansit, et inter eos ipsos, qui Euangelio nomen dederunt, ac Messiani regni civibus adscribi sese passi sunt, multi quoque sunt eruntque, qui externâ tantum specie, non autem animo et factis civium ingenium atque indolem demonstrent, ut adeo vere dici possit παῦροι εἶναι ἐκλεκτοί. — Ἐκλεκτοὶ autem, ut semper in N. F. scriptis, sunt *vere Christiani*, *Euangelio obedientes*, *Deoque grati*. — Ut igitur ad priorem parabolam revertamur, nisi vehementer fallimur, nostrâ qualicunque expositione, satis apparebit, quae de operariis, diverso tempore, a domino in vineam conductis, in hac parabolâ occurrunt, ea non ad unguem esse resecanda, nec ita enucleanda, ut cuique operariorum speciei specialis quoque significatio tribuatur, quae res plurimos fere interpretes in erro-

rem induxit. Conff. omnino STORRIUS, *Opusco. Academm.* Vol. I. disf. II. § 14 et § 27. GOMARUS, *lib. locoque laud.* J. L. EWALD, *der Blick Jesu auf Natur, Menschheit und sich selbst* XII. *Betracht.* p. 152. seqq. DERMOUTIUS, Pater, *Sermonum, pro sacrâ conc. habitt.* fascic. I. Serm. III. p. 95. In primis autem legenda est commentatio de hac parabolâ, Germanice scripta: *über die Parabel von den Arbeitern im Weinberge*, Matth. cap. XX. 1—16. *von* CARL GOTTLIEB BEIJER, in *Neues kritisches Journal der Theol. Litteratur, herausgeg. von* Dr. BENED. WINER, *und* Dr. J. G. VEIT ENGELHARDT, *ersten Bandes* 2*tes Stück* I. p. 130. quae nostrae qualicunque hujus parabolae interpretationi omnino consentit.

---

§ 32.

Observatio XVII.

Cum in multis parabolis Deus, pro scientiâ suâ, qua omnes omnino res, divinâ complectitur mente, agens proponatur, aut universe indicetur rem aliquam haud fieri, illo inscio, in fictâ tamen pa-

parabolae narratione Deus sub hominis imagine pingatur; homo autem per se aliquid scire, nisi per sensus edoceatur, nequeat, necesse omnino fuit, fingere modos, quibus homo, in parabolâ Deum repraesentans, ad rerum, de quibus in narratione sermo est, cognitionem pervenerit; quapropter simplicissimam prorsus rationem et vulgari captui accommodatam Jesus elegit, eam nempe, qua aliorum indicio atque monitu aliquid intelligimus, et quidem fingendis ministris seu servis, qui homini in parabolâ quamcunque rem ipsis compertam indicant, ut in communi vitâ fieri solet; aut etiam illam cognoscendi rationem, qua ipsi, sensuum adminiculo, mentisque scrutatione ad rei alicujus notitiam pervenimus. — Cum enim parabolae ea est ratio, ut vitae communis quasi partem sive scenam ob oculos ponat (obs. XV. p. 253.), ab hac omnino arceri debent omnia, quae praeter consuetum naturae ordinem, per miracula atque adeo per miraculosam quoque revelationem, evenire posse, nobis quidem, e Sacris litteris, quas ut divinas agnoscimus ac magnopere reveremur, persuasum est. Hinc quoque summus ERASMUS, Paraphr. N. T. ad Marc. IV. 2. parabolas vocat. *rerum notissimarum similitudines.* Ex hac autem nostrâ observatione apparet, hujusmodi colloquia, sive quascunque alias rationes, quibus persona, in

ipsâ narratione, Deum repraesentans, *mediate* ut dicitur, ad cujuscunque rei cognitionem perveniat, θεωρέσθαι esse interpretanda, de illâ nempe Dei scientiâ, qua omnes omnino res, praeteritas, praesentes atque futuras, omnia omnino hominum consilia atque molitiones, uno quasi obtutu intueatur, atque comprehendat, eaque adeo non enucleanda atque ad unguem resecanda esse. Tali enim interpretandi ratione periculum esset, ne Deo tribuerentur, quae quam longissime ab ipsius naturâ sint remota. Idem quoque valet, de sermonibus atque colloquiis quae inter se conferunt personae, quae in parabolarum narratione inducuntur agentes, sive inter sese, seu quoque cum illâ personâ, qua proprie repraesentatur ipse Deus. Cum enim homines in societate versantes cogitata atque consilia sua sibi in vicem sermone declarent, et Deus quoque ipse in parabolis homini cuipiam similis proponatur, parabola, quae quasi partem vitae communis, sive scenam, ut ita dicam, vivis coloribus depingit, non potuit non hominum sive Dei cogitata, consilia, voluntatem caet. ob oculos ponere, nisi fingendis hominibus, sermones in vicem conferentibus. Vid. hac de re omnino STORRIUS, *Opuscc. Academm.* Vol. I, diss. II. § 20. p. 139, 140. et GOMARUS, *loco mox laud.* Exempla occurrunt Mathh. XXII. 12, 13. XVIII. 32, 33. Huc quoque pertinet

ser-

ſermo, ille quem inter ſe contulerunt Patriarcha Abrahamus et dives iste epulo in orco. Luc. XVI. 24—31. et cap. XV. 12. ſeqq. Idem quoque valet de colloquio, quod cum operariis, quos in vineam ſuam miſerat, habuit paterfamilias ille, Matth. XX. 11—15. quo nonniſi cogitata, quae discipulorum Jeſu animus volvere poſſet, itemque Dei cogitata atque conſilia in remunerandis veris ſuis cultoribus, quamvis non omnes aeque diu ac multum in re Christianâ elaboraverint, proponuntur. Referri huc quoque poſſunt, quae occurrunt Matth. XIII. 27—30. XVIII. 31. XXII. 7. 11. Luc. XII. 20. XIV. 21. Habet quae huc ſpectant GOMARUS, *Opp.* Tom. I. P. I. p. 107b. et 109a. in *Comment. ad Matth.* XXII. 7. et 11.

---

§ 33.

Obſervatio XVIII.

In ipſâ parabolarum *explicatione*, a Servatore nostro discipulis ſuis datâ, ipſe nonnunquam adhibet *dictiones metaphoricas;* tum praeſertim, *ubi rei docendae ratio atque indoles ejusmodi*

erant, ut, ratione habitâ tenuitatis mentis humanae et finium cognitionis, ultra quos progredi nemini in hoc rerum statu terrestri licet, *nonnisi tecta et imaginibus involuta proponi potuerit.* Quod fit e. c. in declarandâ futurâ, post hanc vitam terrestrem, hominum sorte, περὶ ἃς δὲ ἀφανεστάτη τὶ ἐστιν, nec etiam omnino φανερῶσαι potest, quandoquidem homines, quorum mens corporis sensibus adstricta est, nullas habere, aut omnino concipere possint notiones, nisi eas, quae ex hac rerum naturâ, quae sub sensus cadit humanos, cogitando, reflectendo, comparando et omnino judicando, derivantur et quasi eliciuntur; neque de futuro, post hanc vitam, statu queant judicare, nisi institutâ hujus vitae cum illâ futurâ comparatione. Cui igitur hominum imbecillitati Servator noster succurrens, sapienter institutionem suam, ut ubique, sic in primis in parabolarum expositione, ei accommodavit, ut e. c. Matth. XIII. 42, 43. coll. 30. 50. coll. 48. Valent huc, SEMLERI verba ubi: "*Aurea*" inquit" *est* BENGELII *sententia*: *doc-* „ *toris non est docere, quae ipse scit, sed quae* „ *auditoribus congruunt.*" — Sed et aliam ob causam Servator, in parabolarum explicatione, his metaphoricis utitur dictionibus sc. ut eo efficacius rem significatam ante oculos ponat. Sunt enim hae dictiones metaphoricae, propriis immixtae,

qua-

quasi ductus quidam tenues, seu lineolae, quae a pictore, suae artis perito, picturae cuidam additae, efficiunt, ut eae picturae partes, quas a rerum peritis maxime velit observari, sponte in oculos incurrant, ac, quasi totidem operis χαρακτῆρες, statim cernantur (*). Quin adeo non obsunt hae metaphoricae dictiones rei, quam per parabolam proponit, suisque discipulis ac auditoribus declarat Servator, intelligendae, ut potius auditores per eas ad id mente ducantur, quod in primis in parabolâ urgendum est, et ut res, per parabolam significata, immixtis his dictionibus metaphoricis, quasi efficacioribus quibusdam coloribus, hominum menti repraesentetur. Id quod observari potest in expositione parabolae, quae occurrit Matth. XIII. 3—8., quam expositionem discipulis suis dedit Jesus adstante hominum vulgo. Loquitur enim de λόγῳ τῆς βασιλείας ἀκούσαντι παρὰ τίνος tanquam de σπείραντι ἐσπαρμένῳ ἐν καρδίᾳ ἀυτοῦ. cf. sect. 3 et 4. Quod autem hic de traditâ hominibus Euangelii doctrinâ agat, id nullo meo monito indiget, quandoquidem e caeteris, quae hac sectione occurrunt, sponte liquet. Jam vero de τῷ σπαρέντι ἐπὶ τὰ παρόδια dicit, αὐτὸν δὲ ἔχειν FIZAN ἐν ἑαυτῷ cf. sect. 6. Quid au-

(*) Parabolas quoque cum *pictâ tabellâ* comparat JOH. CAMERON ἐν τοῖς σωζομένοις, p. 115.

autem hoc sibi velit, id satis intelligitur e totâ oratione sectt. 20 et 21. Porro sect. 22. περὶ τοῦ εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρέντος ait τὸν λογὸν (sc. τῆς βασιλείας) ἐν αὐτῷ ΣΥΜΠΝΙΓΗΝΑΙ, (cf. sect. 7.) nec quoque difficultas quaedam in intelligendâ hac sectione oritur e metaphoricâ illâ τοῦ συμπνιγεῖν dictione. Deinde sect. 23. de τῷ σπαρέντι ἐπὶ τὴν γῆν καλὴν dicitur: αὐτὸν ΚΑΡΠΟΦΟΡΕΙΝ (cf. sect. 8.) Etiam hoc loco nil attinet de ejus sensu monere, cum vel rudiores Jesu mentem assequantur. Sed quis est, qui, paulo acutioris ingenii, non cum voluptate quadam animadvertat, in ipsis his dictionibus metaphoricis ex ipsâ narratione in ejus explicationem translatis, cardinem rei verti, atque propterea eas adhibuisse Servatorem, ut auditores sentiant, cui rei considerandae mentem potissimum applicent. Et ut hoc, ὡς ἐν παραδείγματι, moneam, ut quisque est sapientior, ita aliquando, in sermonibus suis, aliorumque hominum institutione, lectissimis subinde utetur metaphoris, ut, quid praecipue velit spectari, id statim ab iis, quibuscum sermones confert, percipiatur, atque efficacius eorum mentem afficiat. — Huc quoque pertinent loci, Matth. XXV. 31. Luc. XIV. 16., 17. coll. 24. Luc. XVI. sect. 9. (*).

§ 34.

(*) Cf. STORRIUS, *de Parabb. dissert. Opuscc.* Vol. I. dissert. II. § 11. VAN DER PALM, *Leerredenen*, II. D. *Leer-*

§ 34.

Obſervatio XIX.

In omnibus parabolis una quaedam praecipua dominatur doctrina, quae ſaepius, per varias ipſius narrationis fictae περιόδους, majore quaſi luce ſuffunditur; quamvis περιόδοι illae non quidem otioſae ſint, ſed et ipſae inculcent doctrinam aliquam, minus licet praecipuam. Sic in Parab. Matth. XVIII. 23—35. praecipua, quae a Servatore ſpectatur, doctrina est: *de condonandis omnino et ſemper injuriis, quibus alii nos affecerint, utut ſint magnae ac ſaepius repetitae.* Sed et praeterea docetur in hac parab. 1.) *magna et innumerabilia esse hominum in Deum peccata atque injuriae* (ſect. 24. 2.) *homines debitorum ſuorum quaſi molem, hinc contractam, Deo exſolvere per ſe nunquam posse*, h. e. pristinam in Deum inobedientiam, ſequenti obedientiâ, ſiquidem perfecta unquam praeſtari posset, non posse compenſari ne-

Leerrede over 1 *Joh.* III. 2b. VOIGTLANDER, *Ontwerp van het Godsrijk*, p. 291. — Valet in nostram quoque obſervationem quae notavit Cl. VAN DER PALM in verſione Bibliorum ad Matth. XXV. 31. "*Er is hier eene vermenging van den eigenlijken en figuurlijken ſtijl, die wel plaats moet hebben, waar zulke verborgene en ver boven onze vatbaarheid verhevene zaken ontvouwd worden.*"

neque culpam, priori inobedientiâ contractam, hinc posse elui; homines igitur Divinae legis poenis manere addictos, Deumque, pro intemeratâ suâ justitiâ, legis suae sanctitatem certo vindicare (sect. 25. 3.) *Deum tamen illam debitorum molem, quantumvis magnam, condonare vere poenitentibus, ac, pro summâ, qua erga miseros homines affectus est, misericordiâ, poenas, quas pro justitiâ suâ sumere posset,* (sectt. 31.) *iis remittere;* (sectt. 26. 27. 4.) *in eos autem, qui in alios, suae naturae socios, sint animo iracundo, vindictaeque pleno, quique, quas forte ab aliis tulerint, injurias non lubenter ac toto animo condonent, Deum pro intemeratâ suâ justitiâ severe animadversurum.*

Praecipua quoque doctrina in parabolis, quae occurrunt, Luc. XV. sectt. 4—7. et 8—10., in eo vertitur: *quod Deo gratus acceptusque sit hominum ad meliorem frugem reditus, quodque coelicolae summo hac de re gaudio afficiantur.* Hoc enim placito suam ipsius agendi rationem Servator defendit contra Pharisaeorum calumnias, quibus propterea eum insectabantur, quod ad mensam publicanorum, hominumque gentilium, qui Judaeis valde erant exosi, quorumque commercio se pollutos existimabant, accumberet et iiscum comederet (sectt. 1 et 2.) Cum enim id concederetur, quod omnino negare Pharisaei non auderent,

Deo

Deo coelicolisque gratam esse hominum conversionem, sponte hinc sequebatur, quidquid ipse Jesus, ut homines ad Deum pietatemque converteret, faciebat, id quoque gratum esse oportere Deo, atque adeo ipsis etiam Pharisaeis, nisi aperte adversari Deo vellent. Jam vero cum Jesus, suo, cum isto hominum genere commercio, id unice spectaret, ut a pravitatis viâ eos revocaret atque ad patrem suum coelestem reduceret, cujus favorem erant aspernati et a quo sese averterant, sui ipsorum juris esse cupientes; quem vero favorem ad eum se convertentes recuperare, possent, habebat, quo se contra Pharisaeorum et legis-peritorum injurias defenderet. Sed praeter praecipuam, quae parabolis his docetur, doctrinam, et consilium, quo iis usus est Jesus, inest quoque his imaginibus 1.) significatio *summae, quam ipse Jesus adhibet, curae, et laboris indefessi, quibus homines, quamvis longe et diu a veritatis pietatisque viâ deflectentes, ad reversionem permovere atque perducere studet.* Anxie enim Pastor quaerit ovem, a grege aberrantem, omnia perlustratur ac per montes desertaque vagatur ut eam inveniat. Mulier quoque denarium perditum, summo cum studio per totam domum quaerit, lucernâ accensâ angulos quosque perscrutatur, et scopis adeo solum verrit, an forte eum inveniat. 2.). Inest quoque significatio *auxilii*,

quod

quod iis fert Jesus, qui, auditâ ejus voce, atque ita ab eo quasi reperti, sincere ad Deum reverti cupiant; et sic quoque implicite docetur *hujus auxilii necessitas.* In humeros enim Pastor oviculam tollit, et sic eam ad gregem reportat. Ovicula igitur viribus erat exhausta ac per sese ad gregem reverti non poterat, itaque Pastoris auxilio indigebat. Denarius, ut reperiretur a muliere, per se quoque facere nil potuit, sed omnia posita erant in mulieris sedulitate.

Eadem est doctrina, idem consilium Parabolae, quae sequitur sectt. 11—32. sed praeterea habet haec ficta narratio significationem quoque 1.) *summae miseriae, in quam incurrunt homines, paterni Dei regiminis pertaesi, ejusque imperio se subducentes, ut sui juris fiant suoque genio indulgeant* (sectt. 12—16.) 2.) *verae conversionis*, quod *ad ipsum hominem*, attinet, *rationem*, et quidem *a.*) *miseriae suae affligens sensus; et* contra *felicitatis eorum, qui, paterno Dei imperio obedientes, ejus favore utantur* certa persuasio. (sect. 17.) *b.*) *sincerum ad Deum revertendi imperioque ejus paterno se submittendi desiderium, junctum cum fiduciâ in paternum ejus animum, quo ad se revertentem in gratiam vult recipere, simul cum penitiori sensu, quantum sit malum hominum a Deo, Patre eorum Coelesti, aversio; et ejusmodi*

vi-

vitae ratio, qua sibi suisque sensuum affectibus unice obediant, voluptatesque corporis sectentur, et quam indigni sint favoris paterni, quem tamen implorare magno cum desiderio cupiunt (sectt. 18—20.) *c.) Ortum, ex hoc desiderio hisque animi sensibus, ad gratiam favoremque Dei confugium, spe positâ in paternâ ejus erga homines affectione.* (sectt. 20, 21.) Inest quoque, ni fallor, *d.) gratiae auxiliatricis, ac desiderium hominis miseri praevenientis* subtilis demonstratio. Pater enim, procul conspecto filio, qui ejus consilia atque admonitiones leviter ac temere respuerat ejusque imperio amplius parere recusaverat, has cogitationes animum suum occupare non sinit, unice cogitat curatque filii miseriam, qua omnes ejus animi sensus penitus afficiuntur ac quasi torquentur, *non* igitur *exspectat, dum filius* languescens et bajulo gradu ad se veniens, *prope accedat;* sed *filium occupat* citato ad eum cursu fertur, eumque amplexus, ad ejus collum haeret, in sinu eum fovet, lachrymas suas, e summo, propter filii reditum gaudio, natas, cum filii lachrymis, animi vere poenitentis signis, miscet, suique paterni favoris certum facit filium (sect. 20.) Inest denique *significatio* haud obscura, immo absoluta quasi pictura dicam, *Pharisaeorum et omnino Judaeorum in Publicanos gentilesque animi, et, si vel tales essent, quales videri vellent,*

(loquitur enim *ex concesso* Servator) (sect. 29.) *hujus tamen rationis, alienae quippe a verâ pietate et amore erga proximos demonstratio et reprehensio.* Haec consilio nostro sufficient, cum unusquisque, his vestigiis insistens, in quavis parabolâ facile inventurus sit, quibus ea, quae hac observatione disseruimus, confirmari possint. Cf. HESZ, *over de Leer, Daden en Lotgevallen van onzen Heer*, p. 218, 219.

---

§ 35.

Observatio XX.

Aliquando Jesus Doctrinam Parabolae a se propositae praecipuam, sive primarium ejus consilium, quadam veluti explicatione ostendit quidem, sed prorsus fere illud involvit dictionibus, ex ipsâ narratione fictâ petitis, quibus tamen unam aliquam immiscet, ad quam attendere parabolam interpretantes, prae caeteris, oportet. — Sic in parabolâ, quae occurrit Luc. XVI. 1—9. ex illo ἀδικίας, quod additur voci σκήνας, intelligitur demum, quid proprie Servator hoc quasi ἐπιμύθῳ doceat: scilicet, ut τελῶναι et ἁμαρτωλοί isti, quorum mentio fit, cap. XV. 1. (nam hos intelligendos esse per τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ cap. XVI. 1., quorum in usum, hanc parabolam proposuit, ex toto hu-

hujus parabolae consilio, facile apparet) et quicunque his erant similes, divitias ac facultates suas, quibus comparandis, tam acri studio atque fervore, inhiaverant, ut ad injustas quasvis actiones et aliorum vexationes hominum prolapsi fuerint, non amplius, quasi verus iis inesset thesaurus, considerarent, sed in aliorum hominum usum utilitatemque eas converterent, et ita agentes, cum ab his ipsis divitiis destituerentur, mortis periculo imminente, haberent, unde solatium peterent, immo quo gratulari sibi maximopere possent, scilicet ex Dei Christique favore, quo ipsis contingeret in beatas Coelestium migrare sedes. — "*Signate*" inquit BEZA, in *Comment. ad N. T. ad hujus cap. sect.* 9. "*additur epitheton*" (sc. τῶν ἀιωνίων ad τὰς σκηνὰς) "*cum* σκηνῶν *appellatione significetur structura non habitationi sed commorationi temporariae destinata, qua de re vide Hebr.* XI. 9. „ *usus est autem istâ periphrasi, ut illustrior sit* „ *antithesis.*"

---

§ 36.

Observatio XXI.

Ad bene interpretandas Servatoris nostri parabolas; necesse est etiam, ut minime hospites simus in opinionibus, quas sibi de rebus Divinis,

speciatim de vitâ post mortem futurâ, nec non de praemiis et poenis, in alterâ vitâ exspectandis, formarunt Judaei. — Hujus rei necessitas statim sese offert legenti parabolam, de *divite epulone* et *paupere Lazaro;* in eâ enim quaedam occurrunt, quae non nisi ex his opinionibus explicari possunt: nempe τὰ περὶ τοῦ Λάζαρου, ἀποτυχθέντος ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον τοῦ Αβραὰμ, his enim subest Judaeorum opinio de piis, angelorum ministerio auxilioque, post mortem, in eum τοῦ ᾅδου locum ductis, qui opponitur τοῖς βασάνοις (sect. 23.) in locum igitur laetitiae, gaudiique plenum, quo pii omnes, vel potius eorum animae congregabantur atque ad sodalitium commerciumque patriarcharum, Abrahami in primis, admittebantur, lautis quoque epulis iiscum accumbentes. Hoc enim, ut summum honorem, sibi quam maxime expetebat Judaeorum vulgus; hac in re magnam felicitatis futurae vitae partem ponebat. Huc quoque pertinent, quae deinceps leguntur περὶ τῶν βασάνων sive de alterâ τοῦ ᾅδου parte ἐν οἷς βασανίζονται οἱ πόνηροι φλογὶ, quam inter et aliam τοῦ ᾅδου partem, beatorum nempe sedem, ἐστήρικτο χάσμα μέγα, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἐξ ἑκάτερου τόπου μὴ δύνωνται τοῦτο ποιεῖν, τοῦτο τοῦ χάσματος ἕνεκα, ex quo utroque loco tamen, e longinquo, se invicem conspicere licebat piis atque impiis, quin sermones quoque inter sese conferre (sectt. 28—31.) Haec igitur Judaeorum vulgi opinionem nobis repraе-

praesentant, de miserâ impiorum post mortem, sorte, deque cruciatibus, quibus in τῷ ἅδῃ, seu isto potius ejus loco, qui περὶ τῶν βασάνων nomen gerebat, affligebantur. Denique referri huc debet, quod dives iste epulo patriarcham Abrahamum roget, ἵνα πέμψῃ τὸν Λάζαρον ἐκ τὸν οἴκον τοῦ πατρός αὐτοῦ πρὸς τοὺς ἀδελφούς αὐτοῦ πέντε, e quo colligere licet Judaeorum vulgus ea fuisse opinione, mortuorum animas, beatorum saltem, aliquando apparere posse vivis, ut eos de quacunque re admoneant. Haec omnia igitur, ut recte intelligantur, et in interpretatione parabolarum rite adhibeantur, Judaeorum his de rebus opiniones, ex scriptis eorum, cum sacris, tum profanis, sunt cognoscendae.

Sic, quando Servator noster in explicatione parabolae, quae occurrit Matth. XIII. 24. 30; sectt. 41—43. dicit: ἀποστελεῖ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ συλλέξουσιν ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Τότε οἱ δικαίοι ἐκλάμψουσιν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν, haec fere omnia exornata sunt, ad Judaeorum cogitandi et loquendi consuetudinem, qua Deum sibi tanquam supremum ipsorum regem repraesentabant, qui in causis solennibus, cum singularem suam declararet praesentiam et efficacitatem, utebatur comitatu et ministerio angelorum. Alia quaedam v. c. de κάμινῳ τοῦ πυρός, de κλαυθμῷ καὶ βρυγμῷ τῶν ὀδόντων referenda sunt

ad Judaeorum, quam sibi περὶ τοῦ ἅδου fingebant opinionem, in primis autem de impiorum, in illâ sede, cruciatu; imagine petitâ, a fornace ardente. Notio autem simplex, quae huic Servatoris nostri qualicunque explicationi inest, eo redit: *accurate satis, illo judicii tempore, probitatis et improbitatis studiosi discernentur, illi praemiis ornabuntur, hi poenis afficientur;* quamquam nullus dubito, quominus huc quoque referam *angelorum ministerium, quorum in solenni illo judicio futurae sint partes.* Nec satis firma mihi videntur eorum interpretum argumenta, qui cuncta, quae de angelorum vario ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ministerio, in N. F. scriptis occurrunt, nonnisi ornatus causâ, et quidem ad Judaeorum hac de re vulgarem opinionem ficta et narrationi figuratae quasi intexta esse, opinentur. Cf. KUINOEL, in *Comment. ad h. l.*

---

§ 37.

Observatio XXII.

In parabolarum expositione videndum, ne in fidei seu doctrinae, Sacris Litteris explicatae, ac fide percipiendae, analogiam impingatur (*). Male

(*) Vid. GOMARUS, *Opp.* Tom. I. Part. I. p. 105. GLASSIUS, *Philol. Sacr.* Lib. II. Part. I. Tract. II. Sect. V. Art. 3.

Male igitur faciunt isti interpretes, qui ex eo, quod in aliqua Jesu parabolâ doctrinam desiderent quam cum praecipuo ejus consilio, in hac parabolâ proponendâ, arcte junctam esse putent, si quidem haec doctrina alibi in SS. LL. doceatur, statim concludant, nec alibi eam in SS. LL. doceri, immo ad veram Euangelii doctrinam haud esse referendam. Sic TELLERUS (*) inde, quod in illâ filii prodigi parabolâ (Luc. XV.) nulla expiationis patris offensi fit mentio, filius contra prodigus, fidenti animo, absque ullius intercessione hominis, ad patrem accedit, cum poenitentiae verae ac desiderii ad meliorem redeundi frugem testificatione, conjicit, doctrinam redemtionis nostrae per intercessionem perpessionum et mortis J. C. non referendam esse ad ea placita, quae proprie docuit Servator, sed ad ea potius, in quibus ipse ejusque Apostoli sapienter sese accommodaverint praejudicatis Judaeorum opinionibus. Hi enim, quae est hujus Viri sententia, nimis assueti erant, notionibus istis duris, *irae*, *poenae*, *sacrificii*, *expiationis*, *remissionis* caet. quam ut revocari ab his facile possent. Quam inique autem hoc ab eo aliisque hodiernis interpretibus fac-

(*) *Vorerinnerungen zur dritten Auflage des Wörterbuchs.* S. 54 et 55. HERINGA, *Prijsverh. Haagsche Genootsch.* 1789. p. 258, 259.

vendendos jusſit non tantum ipſum Satrapam, ejus debitorem, ſed et uxorem liberosque ejus, efficere quis posſet, esſe in Dei decretis, ut et hi pro mariti et patris malefactis poenas luant; quod quántopere a fidei analogiâ et a Dei justisſimi naturâ abhorreat, non est, quod moneam Sacrarum litterarum peritos; et quam abſurdum foret, ex hujus ſectionis disquiſitione, hujusmodi quid ſtatuere, vel inde liquet, quod uxori et liberis jungantur πάντα ὅσα εἶχε, quo manifesto apparet, uxorem et liberos, ad Orientalium rationem, hîc conſiderari tanquam peculii quandam partem, atque adeo abſurdum esſe, ſi quis ſtatuere velit, uxorem liberosque, pro debitis mariti et patris, poenas luere; cum potius venditio Satrapae et univerſi ejus peculii, ad quod etiam, more Orientalium, pertinuere uxor liberique, conſideranda ſit ut poena, uni Satrapae infligenda (*).

Si-

(*) Pertinent huc, quae narrantur a JOH. CRAWFURD, in libro vernacule, ex Angl. ling. verſo, cui titulus: *de Indiſche Archipel*, caet. Part. III. p. 69. De incolarum inſulae *Javae* legibus agens, inquit: "*Een onvermogend „ſchuldenaar is verpligt zijn' ſchuldeiſcher zoo lang te „dienen, tot dat de ſchuld afbetaald is; waardoor hij „genoegzaam met een' ſlaaf gelijk geſteld wordt: Ieder „man is op een' gezetten prijs geſteld; gaat de ſchuld dien „te boven, dan verliest hij ten eenenmale zijne vrijheid,*

„*of*

deo: si doctrina quaedam totidem verbis a Servatore ejusque Apostolis passim in SS. LL. quam luculentissime doceatur, tot vero jam exposita sit virorum in Cathedram evectorum aggressionibus, nonne magis etiam in dubium vocaretur et ab hominibus, superbe de se ipsis existimantibus, peteretur, si fictâ quadam narratione fuerit proposita, quae vanis istorum hominum contentionibus et disputationibus facilem praebitura esset ansam? Sed quo me abripit animi ille mei ardor pro defendendâ religione Christianâ? A proposito, ut nonnunquam, ita et nunc, me aberrasse, sed sero nimis, video.

Unum hoc adhuc animadvertendum esse puto: redemtionis doctrinam talem esse, ut difficile fictis narrationibus, e vitâ communi petitis, proponi possit. Unice illustrari potuit e cultu Mosaico, quo Christi redemtio adumbrata fuit; sed quominus hac ratione usus sit Servator vetuit cum Judaeorum pertinacia, in fovendis de regno Messiae perversis opinionibus, tum consilium Servatoris, ne, peracto nondum opere, a Patre ipsi imposito, Judaeorum odio atque insidiis, mortem, ante tempus oppeteret.

Ut autem revertamur ad nostram animadversionem, illustrari ea quoque potest illâ parabolae, quae occurrit Matth. XVIII. sect. 23. seqq. parte, quae inest sectioni 35. Inde enim, quod Rex

hujus parabolae historiâ. Scilicet publicani et gentiles, qui hujus parabolae proponendae primam dederunt ansam, non suâ sponte ad meliorem frugem redierunt, sed vi doctrinae Servatoris nostri in eorum mentes efficaci, qua convincebantur de morum suorum pravitate, de miseriâ inde ortâ, de Dei indignatione et de poenâ in futurâ vitâ ipsis infligendâ, nisi a consuetâ vitae ratione recederent; tum etiam id contigit factis Jesu mirificis, quibus persuaderi sibi passi sunt de origine ejus Coelesti. Narrat enim Lucas sect. 1. ἦσαν δὲ ἐγγιζόντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ ἀκουειν αὐτοῦ. Sed, collatâ quoque utrâque parabolâ praecedenti, satis luculenter patet: ipsa conversionis initia, non esse hominis, sed ipsius Dei, qui ea in homine modo rationi congruo, cum aliis remediis, tum in primis Euangelii doctrinâ, sp. S. vi, in animos hominum efficaci, producit. Ipsa enim ovis, quae a grege aberravit, non ad pastorem suopte impetu redit, sed pastor eam anxie quaerit, donec eam inveniat; denarius ille, quem mulier perdidit, sedulo erat quaerendus, ut tandem ab ipsâ reperiretur. Quorsum autem haec? ut demonstrent, hominum ad Deum, a quo secesserant, conversionem, uni Deo esse tribuendam.

---

§ 38.

§ 38.

Obſervatio XXIII.

Ut in univerſo docendi et arguendi modo Servator ſaepius *e conceſſo*, ut ajunt, argumentatur, ita etiam in parabolis nonnunquam; quo facilius ii, quos vel doceret, vel ab aliqua parte carperet, de ejus rei veritate, quam ipſis traderet, ac de erroribus ſuis convincerentur; *quamquam ea, quae, convincendi cauſâ, conceſſerat, haudquaquam ipſe probavit.* Hujus rei exemplum nobis ſeſe offert in parabolâ, quam proponit Jeſus, Luc. XV. Ex iis enim quae pater, in narratione, ſect. 31. reſpondet filio ſuo natu majori, (quo, ut alibi diximus, indicantur Judaei, ſpeciatim Phariſaeorum ſecta), ad ista verba, quibus maximopere ſeſe effert, tanquam qui pii in patrem animi multa ediderat documenta, minime colligendum est, Judaeorum vulgus omnino et in ſpecie Phariſaeos tales fuisſe, in obſervandis legis Divinae praeceptis, et in univerſâ virtute colendâ, quales ipſi de ſe profitebantur; neque ſtatuendum, Jeſum eorum pietatem virtutisque ſtudium agnoviſſe; apparet enim ex indole et ſtudiis, quae in hac parabolâ ſub filii natu majoris imagine, ipſis a Servatore tribuuntur, vulgus Judaeorum, in primis autem Phariſaeos, homines fuisſe faſtoſos, alto ſupercilio, gentes, a cultu Judaico alienas, deſpicientes, atque a mu-

a mutuâ hominum caritate quam maxime alienos, adeoque legis ſummam, quae caritate continetur negligentes. Ut autem magis erroris eos argueret Jeſus, *concedit* quaſi, eos, ut ipſi de ſeſe profitebantur, pietate in Deum omnique virtutis ſtudio excellere, ſed vel his concesſis, iniquum tamen illicitumque erat, quando publicanos gentilesque vere poenitentes et ad meliorem frugem redeuntes animo perſequebantur malevolo invidiâque pleno; ac propterea, quod Jeſus docendo atque adhortando mentes eorum illuſtrare animosque emendare, atque adeo felicitatis eos ſummae reddere participes, omni ſtudio ac viribus conaretur, ipſum ignominioſe tractarent conviciisque lacerarent. At quanto magis ab his abſtinere eos oportebat, ſummoque gaudio affici, quod degeneres isti Patris Coelestis filii in ejus gratiam redirent paternoque ejus favore fruerentur; quum ipſi, ſi ad ſeſe redire et penitiores animi ſui receſſus inſpicere vellent, longe plura reperirent, quibus fastus iste, quo efferebantur, deprimi deberet, ut adeo magis ipſis dolendum esſet ex miſeriâ ſuâ, quam alto ſupercilio deſpicere, et a divinâ gratiâ atque miſericordiâ excludere eos, quos vere peccatorum ſuorum poeniteret, quique ut ſalvi fierent, demisſo et humili animo ad Patrem Coelestem confugerent, filiique ejus, quem, in hominum omnino omnium ſalutem, e Coelo in terram miſerat, auxilium implorarent.

§ 39.

§ 39.

Obſervatio XXIV.

Aliquando in parabolarum fictâ narratione Jeſus *imagine patris* utitur, qui cum filiis et filiorum qui in vicem cum illo ſermones conferunt. Quâ quidem imagine, Patris ſui Coeleſtis in homines mentem, atque cum illis agendi rationem declarat, eo in primis conſilio, ut homines, ad quos orationem ſuam habebat, intelligerent, eum non ſuo, ſed Patris ſui Coeleſtis nomine, agere, eosque doceret, quantum hujus conſilio adverſarentur, ſi de univerſâ ejus docendi agendique ratione male cogitarent, adeoque ipſum pro legato, divinitus misſo, immo pro Dei filio, quem ſe esſe profitebatur, haud agnoscerent. Sic v. c. Jeſus in parabolâ de filio prodigo, quam nobis exhibet Lucas Euang. cap. XV. ſectt. 11. ſeqq. ipſâ hac narratione de patris optimi erga filium, a disſolutâ vitae ratione ad meliorem frugem converſum, animo benevolo atque clementi paternoque eum favore rurſus amplectenti, non tantum univerſe ſuum cum publicanis agendi modum, a Phariſaeorum injuriâ atque calumniis defendit; ſed, hoc praeſertim nomine, luculentisſime demonſtrat, ſeſe, hac ipſâ agendi ratione, Patrem ſuum Coeleſtem imitari, ejus voluntatem perficere, atque ita ſeſe filium ejus atque legatum, in hominum ſalutem ab eo misſum, ac

Pa-

Patris ſui in homines mentem benignisſimam declarantem, ostendere.

Et haec quidem ſunt, quae, ad parabolarum J. C. interpretationem recte inſtituendam, obſervanda duximus. Quae ſi omnino a Viris, artis Hermeneuticae peritis probari haud posſint, nonnulla tamen in iis invenient, quibus ſuffragia ſua haud prorſus denegabunt. Et ſic quoque ad finem perductâ nostrâ qualicunque disputatione, eam benevolo ac modesto, at nihilominus tamen recto ac vero lectorum judicio commendamus, grato accepturi animo, quaecunque nobis minus recte cogitata, aut exiliter nimis enunciata indicabunt. Caeterum labores nostros tenues atque imperfectos Deo commendamus, enixeque ab eo petimus, ut illo moderante, eos ferant fructus, quibus ejus gloria, Servatorisque ſanctisſimi honos atque reverentia promoveantur; et ad SS. litterarum intelligentiam, hoc etiam ſymbolo, aliquid, quamtumvis parum, conferatur.

Ex Typogr. J. J. STUERMAN FILIIQUE, Delphis.

E R R A T A.

Pag. 15. τιμωρήσαιθαι, lege: τιμωρήσασθαι.

„ 77. *cenſendi*, —: *cenſendae.*

„ 112. *ſummam fastigium*, —: *ſummum fastigium.*

„ 256. *arcto utrumque*, —: *arcto utramque.*

„ 273. *discipulis mei!* —: *discipuli mei!*